AUTHOR:

KLUGE, FRIEDRICH

TITLE:

DE PLATONIS CRITICA

PLACE:

HALIS

DATE:

1909

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Kluge, Friedrich, 1886-
De Platonis Critica. Halis, typis Orphanotrophei,
1909.
51 p. 22cm.

Thesis, Halle.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3-9-93 INITIALS MGJ
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE PLATONIS CRITIA

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA
HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM
ORDINE HALENSI RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

FRIDERICUS KLUGE 1886-
HANNOVERANUS

HALIS
TYPIS ORPHANOTROPHEI
1909

De dissertatione probanda ad philosophorum ordinem rettulit
OTTO KERN

OTTONI KERN

SACRUM

Argumentum.

Cap. I.

De ratione, quae inter Critiam et cetera Platonis de republica scripta intercedit.

Platonis Critias dialogus, quem in eius politicorum scriptorum numero habendum esse vel eo cognoscitur, quod hoc in opere priscorum Atheniensium atque eorum qui Atlantidem insulam incolebant civitates diligentissime depinguntur, magna cum Republica et Legibus cognatione continetur. Inter quas quae sit ratio Plato[1]) ipse atque multi viri docti[2]) satis dilucide explanaverunt, ut hoc exponere supersedeam. Rempublicam vero et Critiam scriptor una cum Timaeo eidem quae vocatur trilogiae attribuit. Qui tres dialogi ipsius Platonis verbis (Tim. p. 16 c, 27 a) ita coniuncti sunt, ut in Timaeo mundus et homines gignantur, in Republica homines ratione philosophi arbitratu optima educentur inque Critia in motu et bello repraesententur vice civium priscarum Athenarum imagine perfectae civitatis institutarum functi. Talem materiae partitionem laudares, nisi offensioni essent, quae totam trilogiam ex imagine primitus concepta non profluxisse declarant. Neque enim Timaei cosmogonia primum in trilogia locum, ut ex verbis p. 27 a exspectatur, tenet neque Reipublicae Critiaeque annexa est, ut ratio tulisset. Etenim Timaeus naturam exquirere non statim incipit, potius in primis capitibus (p. 17—27) haec exponuntur:

---

1) Cf. Leg. p. 739 e: *ἣν νῦν ἡμεῖς ἐπικεχειρήκαμεν (πόλιν), εἴη τε ἂν γενομένη πως ἀθανασίας ἐγγύτατα καὶ ἡ μία δευτέρως.*

2) C. F. Hermann, Gesch. u. Syst. d. Platon. Philos. 1839 p. 535 sq. — Fr. Susemihl, Genetische Entwicklung der Platon. Philosophie 1857 vol. II p. 619 sq., 559 sq. — E. Zeller, Philosophie der Griechen II[4], 1 p. 951 sq., 972 sq.

p. 17—19 b: Breviter summa disputationis de optima republica habitae repetitur, quae res iam multum difficultatis habet, cum discrimina intercedant inter hanc recapitulationem et Rempublicam, quae memoriae prodita est. In illa minora comprehenduntur quam ea, quae continet Respublica. Quin etiam omissus est consulto[1]) ille regum philosophorum ordo, cui Platonem longe maximam in civitate gravitatem auctoritatemque adscripsisse ex Reipublicae libris VI et VII satis elucet.

p. 19 b sq.: Socrates civitatem quae motu careat descriptam moveri atque in bello probari cupit, ad quod exponendum amicos putat esse aptos.

p. 20 d — 25: Critias Socratis voluntatem secutus vetus Atheniensium cum Atlantidis insulae incolis bellum, i. e. argumentum Critiae dialogi breviter adumbrat.

p. 25 e sq.: Narratione perfecta eiusque fide pronuntiata Critias (p. 26 c) *νῦν οὖν*, inquit, *οὗπερ ἕνεκα πάντα ταῦτα εἴρηται, λέγειν εἰμὶ ἕτοιμος, ὦ Σώκρατες, μὴ μόνον ἐν κεφαλαίοις, ἀλλ' ὥσπερ ἤκουσα καθ' ἕκαστον.* Critiae interroganti an forte quidquam sit quod optatius disputari possit Socrates abnuit *πῶς γὰρ καὶ πόθεν ἄλλους ἀνευρήσομεν ἀφέμενοι τούτων; οὐκ ἔστιν, ἀλλ' ἀγαθῇ τύχῃ χρὴ λέγειν μὲν ὑμᾶς, ἐμὲ δὲ ἀντὶ τῶν χθὲς λόγων νῦν ἡσυχίαν ἄγοντα ἀντακούειν.* Quisque putat Critiam in sequentibus accuratius explicaturum esse, quod in dialogo cui cognomen dedit revera disputat, cum subito disputationis tenor interciditur. Nam pro exspectato *σκόπει δή*, Critias inquit (p. 27 a), *τὴν τῶν ξενίων σοι διάθεσιν, ὦ Σώκρατες, ᾗ διέθεμεν· ἔδοξε γὰρ ἡμῖν Τίμαιον μὲν - - πρῶτον λέγειν ἀρχόμενον ἀπὸ τῆς τοῦ κόσμου γενέσεως κτλ.* atque Socrate miro modo assenso Timaeus praeter omnium spem perfectam de natura philosophiam (p. 27a — 92 b) refert. Verba p. 27 a—c ad materiam Timaei traducunt, altera autem pars prooemii (p. 17 a — 26 e) ad rem huius dialogi non

1) Socrates (p. 19 a) summa Reipublicae librorum ab altero usque ad quintum medium repetita *Ἆρ' οὖν δὴ διεληλύθαμεν ἤδη καθάπερ χθές, ὡς ἐν κεφαλαίοις πάλιν ἐπανελθεῖν*, inquit, *ἢ ποθοῦμεν ἔτι τι τῶν ῥηθέντων, ὦ φίλε Τίμαιε, ὡς ἀπολειπόμενον;* quae ad verba Timaeus respondet *Οὐδαμῶς, ἀλλὰ αὐτὰ ταῦτ' ἦν τὰ λεχθέντα, ὦ Σώκρατες.*

pertinet, sed potius ad Critiam referenda est atque optimo iure in Critia dialogo perscrutando in quaestionem vocatur. — Quaeritur igitur, qua ratione philosophorum regum praetermissio (p. 19 a) atque illa subita incisio (p 26 e — 27 a) explicari possit. Ingeniose vero E. Rohde[1]) eumque secutus Joannes ab Arnim[2]) totam inconcinnitatem expediebant rati Timaei prooemium spectare ad dialogum prius quam nostra Respublica conscriptum, qui civitatem Socratis exemplo exstructam continuerit atque cum illius operis libris ab altero usque ad quintum, in quibus philosophorum regum nondum mentio fit, in universum congruerit, atque Platonem huic veteri Reipublicae formae narrationem, quae est de Atheniensium cum Atlantinis bello, adicere voluisse, ut civitatem, quam motu carentem depinxisset, in actione versantem ostenderet. Atque coepisse eum quidem hanc fabulam perscribere, totam autem consilii executionem Reipublicae argumento amplificato atque Timaei cosmogonia dialogo inchoato multo post inserta distulisse neque umquam ad finem perduxisse. Ita omnes difficultates plane solutae essent, nisi his quoque coniecturis ipsis multa essent offensioni. Etiamsi enim dubitari non potest, quin Respublica sensim et pedetentim conscripta sit[3]), tamen antiquiorem fuisse quam Rohde et Arnim volunt eius operis formam valde incertum est[4]), neque usquam in Reipublicae libris Critias vel trilogia conscribenda praesignificantur; Timaei autem locus (p 17 — 19), quo reges philosophi praetermissi sunt, alia ratione, quae infra demonstrabitur, attenuatius atque planius enucleari potest. Accedit, quod Timaei prooemium atque Critiam ex origine ad unum solum dialogum, cui post cosmogonia inserebatur, pertinuisse incredibile est, cum eadem quae in Critia uberius dicuntur in Timaei exordio extremis lineamentis in

1) Psyche II^3, 266 adn.

2) De Reipublicae Platonis compositione ex Timaeo illustranda, Progr. Rostochii 1898.

3) Cf. A. Krohn, Der Platonische Staat 1876; Die Platonische Frage 1878. — E. Pfleiderer, Zur Lösung der Platon. Frage 1888.

4) Cf. Th. Gomperz, Griech. Denker II, 359 sq. — J. Hirmer, Entstehung und Komposition der Platon. Politie, Jahrb. für klass. Philol. Suppl. XXIII, 1897, 583.

universum iam ficta sint. Qualis repetitio non ferenda est atque consilio Timaei iniciendi nondum capto sensu caret. Tandem Rohdii sententia temporum rationi repugnat. Qua enim probata fieri nequit quin agnoscamus Platonem non solum illam antiquam Rempublicam sed etiam Timaei prooemium et Critiam prius quam seriores Reipublicae libros scripsisse, quod omnium virorum doctorum opinionibus contrarium est. Neque ut has dubitationes tolleret contigit Ioanni ab Arnim, qui revera post scriptos decem Reipublicae libros Timaei prooemium Critiamque chartis mandatum esse concessit atque quid sit cur Plato scribere perrexerit opus, quod fundamento necessario i. e. civitate exemplo Socratis instituta carebat, evolvere studebat. Cuius rei enim argumenta[1]) valde infirma atque arguta videntur, si comparaveris, qua simplici ratione Th. Gomperz[2]), C. Ritter[3]), J. Bruns[4]) aliique iamdudum rem expediverint. Plato illos reges philosophos, quod noniam ei curae erant, omisit, minime vero ut Rohde et ab Arnim putant, quod nondum eos excogitaverat. Revera autem scriptorem postera aetate, cui Critiam quoque attribuendum esse infra certe confirmabitur, philosophorum potestatem desperavisse atque abiecisse eo imprimis probari puto, quod illam neque in Critia neque in Legibus, ubi breviter summae civitatis perfectae res (p. 739 a — e) colliguntur, memorat atque Aristoteles, cum de Platonis Republica verba faciat (Politic. p. 1261 a — 66 b), de communi bonorum, mulierum liberorumque possessione late iudicat, philosophos reges praetermittit.

1) l. l. p. 9/10: „patet enim ad X Reipublicae libros fabulam Atlanticam adici non potuisse, primo quod non solum optimae reipublicae sed etiam pravarum imaginem depingunt, deinde quod praeter rempublicam etiam iustitiam et iniustitiam quid ad vitam hominum beatam miseramve reddendam valeant examinant, porro quod de republica belligerante ea iam continebant (p. 466e sq.), quae fabulam Atlanticam idem spectantem supervacaneam redderent, postremo quod illis non intererat collocutor Critias, qui solus fabulam Atlanticam a vetere Critia et Solone acceptam narrare posse videbatur.“

2) l. l. II, 478

3) Philolog. LXII, 1903, 414.

4) Das litterarische Porträt p. 275 sq.

Quodsi hoc constat etiam illam orationis intermissionem atque incisionem alia atque Rohde et Arnim periclitabantur via enodare temptandum est. Jam supra diximus Atlantici belli in Timaei prooemio adumbrationem atque eius in Critia explicationem cogitari non posse nisi consilio saltem cosmogoniae trilogiae attribuendae iam proposito. Illa Timaei verum materies, ut a pagina 27 d usque ad paginam 92 b legitur neque rudis neque imperfecta, sed iam ad maturitatem perducta videtur. Quibus conspectis quid illa incisio probabilius reddit quam Timaei prooemium atque Critiam nonnisi Timaei cosmogonia absoluta compositum atque vetustam de Atheniensium cum Atlantinis bello narrationem posteriore Platonis aetate illi perfecto dialogo quasi circumpositam esse? Veluti Critiam numquam ad finem perduxit[1]), incisionem quoque philosophus non correxit.

Ex supra dictis iam intellegitur Athenas priscas in Critia dialogo penitus civitatis perfectae exemplo regibus philosophis tamen exceptis instructas esse. Agricolae atque opifices minimas partes obtinent (cf. Crit. p. 110 c; 111 e), propugnatorum instituta Platone breviter ad Rempublicam vel Timaei prooemium reiciente paucis verbis (cf. Crit. p. 110 c d; 112 a sq.) transiguntur.

Maior cura est, ut quae ratio inter Critiam et Leges intercedat dicatur, quam rem quamvis vestigia minime obscura sint viri docti adhuc non observabant, sive quod Leges diu neglegebantur sive quod post Critiam eas conscriptas esse omnibus certum erat uno, quatenus scio, excepto. Namque Platonem iam annis 366/60, ut Dionysio tyranno Syracusis instituta proponeret, in Legibus scribendis operam posuisse, extremis autem vitae temporibus Critiam componere coepisse Fr. Blass censuit.[2]) Leges utrum revera illis annis Siciliae conditae sint necne, cum gravioris de hoc opere habendae quaestionis sit, in medio relinquo. Philosophum autem ante Critiam illas litteris complexum esse, quod Blass in ambigua Platonis epistularum aucto-

1) Cf. Plut. Sol. c. 32: ἡ Πλάτωνος σοφία τὸν Ἀτλαντικὸν ἐν πολλοῖς καλοῖς μόνον ἔργον ἀτελὲς ἔσχηκεν.

2) Über die Zeitfolge von Platos letzten Schriften. Apophoreton, Berlin 1903, p. 52 — 66.

ritate atque minime certis, ut ipse (p. 62) concedit, coniecturis nisus sumpsit, dialogis inter se collatis certe confirmatum iri spero. Atque primum quantus inter utrumque sit consensus ut illustretur, haec sint exempla:

Cum in Republica civitati, quae ex se et sua natura sit optima, nulla certa sedes attribuatur, in Legibus consilio urbis condendae capto (p. 702 c) proximum est, ut situs naturaque terrae[1]) atque eius incolarum conditiones[2]) considerentur. Quae ut homines non solum serventur, sed quam optimi in perpetuum sint, permagni esse momenti Plato existimat (p. 707 d) atque eadem doctrinarum scientiarumque argumentis firmatum alio loco postulat his verbis (p. 747 d) *μηδὲ τοῦθ' ἡμᾶς λανθανέτω περὶ τόπων, ὡς οὐκ εἰσὶν ἄλλοι τινὲς διαφέροντες ἄλλων τόπων πρὸς τὸ γεννᾶν ἀνθρώπους ἀμείνους καὶ χείρους κτλ.* Eodem modo in Critia Athenarum priscarum (p. 110 d — 111 e) atque Atlantidis insulae (p. 118 a b; 114 e — 115 c) positio naturaque atque utriusque civitatis incolarum ingenia, et Atticae[3]) et Atlantidis[4]), subtiliter describuntur; quin etiam sapientia corporaque hominum cum bonitate terrae quam habitant coniunguntur.[5])

Eo porro eandem inter Leges et Critiam esse rationem patescit, quod illic (p. 705 a sq.) vere bonam esse civitatem Plato putat omnia quidem procreantem (*πάμφορος*), non tamen illis rebus redundantem (*πολυφόρος*), cum respublica mercibus et pecuniis completa mobiles et instabiles mores reddat neque

---

1) p. 704 b: *ἐπερωτῶ, πότερον ἐπιθαλαττίδιος ἔσται τις ἢ χερσαία* [sc. *ἡ πόλις*]. p. 704 d: *τραχυτέραν αὐτὴν ἢ πεδιεινοτέραν ἂν λέγοις* etc.

2) p. 707 e: *τίς ὁ κατοικιζόμενος ὑμῖν λεὼς ἔσται;*

3) p. 109 d: *ἄνδρας ἀγαθοὺς ἐμποιήσαντες αὐτόχθονας.* p. 111 e: *χώρα διεκεκόσμητο - - ὑπὸ γεωργῶν μὲν ἀληθινῶν - -, φιλοκαλῶν δὲ καὶ εὐφυῶν.* p. 112 e: *κατά τε σωμάτων κάλλη καὶ κατὰ τὴν τῶν ψυχῶν παντοίαν ἀρετὴν ἐλλόγιμοι.*

4) p. 120 e: *τὰ γὰρ φρονήματα ἀληθινὰ καὶ πάντῃ μεγάλα ἐκέκτηντο, πρᾳότητι μετὰ φρονήσεως - - χρώμενοι.*

5) Tim. p. 24 c: *ἡ θεὸς ἐκλεξαμένη τὸν τόπον, ἐν ᾧ γεγένησθε, τὴν εὐκρασίαν τῶν ὡρῶν ἐν αὐτῷ κατιδοῦσα, ὅτι φρονιμωτάτους ἄνδρας οἴσοι.* p. 24 d: *ἡ θεὸς - - τὸν προσφερεστάτους αὐτῇ μέλλοντα οἴσειν τόπον ἄνδρας, τοῦτον ἐκλεξαμένη.*

quidquam civitate, quae omnia abunde ferat atque multum auri et argenti colligat, sit perniciosius; in Critia autem Athenae priscae *πάμφοροι*, Atlantis verum, quae rebus maritimis atque mercaturis[1]) plurimum valeat atque ubertate omnium rerum, auro argentoque abundet[2]), *πολυφόρος* est, quam ob rem accidit, ut haec malis moribus perturbata (cf. Crit. p. 120 e/121) ab illis prosternatur.

Sed verbis de terrae incolarumque natura factis philosophus in Legibus addit maxime ea quae dei sortiti sint loca excellere (p. 747 e) *τούτων δ' αὖ πάντων μέγιστον διαφέροιεν ἂν τόποι χώρας, ἐν οἷς θεία τις ἐπίπνοια καὶ δαιμόνων λήξεις εἶεν, τοὺς ἀεὶ κατοικιζομένους ἵλεῳ δεχόμενοι.* Neque aliter priscae Athenae atque Atlantis eminent inter alias regiones, quoniam alteram Minerva et Vulcanus (cf. Crit. p. 109 c; Tim. 23 d), alteram terram Neptunus (p. 113 c d) nanctus tutatur.

Atque etiam in regione urbeque instituenda atque munienda multa inter utrumque opus simillima sunt. Praescribit enim Plato in Legibus, ut urbs, quoad fieri possit, in medio regionis atque commodo loco condatur[3]), ut et urbs et totus ager in certum partium numerum dividatur[4]), ut adversus hostium impetum civitas fossis turribus vallisque defendatur atque *εὐερκής* (p. 760 e) reddatur, at amicis regio sit quam apertissima[5]), ut tandem oppidum eiusque aedificia et viae certis legibus exstruantur.[6]) Quae omnia postulata Atlantini in agro suo in-

---

1) p. 117 e: *ὁ δὲ ἀνάπλους καὶ ὁ μέγιστος λιμὴν ἔγεμεν πλοίων καὶ ἐμπόρων ἀφικουμένων πάντοθεν.*

2) Cf. p. 114 e sq.; 115 b: *ἅπαντα ταῦτα ἡ - - νῆσος ἱερὰ καλά τε καὶ θαυμαστὰ καὶ πλήθεσιν ἄπειρ' ἔφερεν.*

3) p. 745 b: *τὴν πόλιν ἱδρῦσθαι δεῖ τῆς χώρας ὅτι μάλιστα ἐν μέσῳ, καὶ τἆλλα ὅσα πρόσφορα πόλει τῶν ὑπαρχόντων ἔχοντα τόπον ἐκλεξάμενον.*

4) p. 745 b: *μετὰ δὲ ταῦτα μέρη δώδεκα διελέσθαι.* p. 745 c: - - *τὰ δώδεκα μέρη τέμνειν τήν τε πόλιν αὐτὴν καὶ πᾶσαν τὴν χώραν.*

5) p. 761 a: *δύσβατα δὲ δὴ πάντα ποιεῖν μὲν τοῖς ἐχθροῖς, τοῖς δὲ φίλοις ὅτι μάλιστα εὔβατα.*

6) p. 778 b: *ἔοικεν τῆς οἰκοδομικῆς πέρι τήν γε νέαν καὶ ἀοίκητον ἐν τῷ πρόσθεν πόλιν ἐπιμελητέον εἶναι, τίνα τρόπον ἕκαστα ἕξει τούτων περί τε ἱερὰ καὶ τείχη.* p. 778 c: *τὰ μὲν τοίνυν ἱερὰ πᾶσαν πέριξ τὴν*

struendo effecisse videntur, cum revera urbs mediis in finibus atque opportunissimo loco sita[1]) universaque insula in decem partes sit partita.[2]) Arx autem iam eo munita est, quod Neptunus collem, in quo illa post exstruitur, circulis maritimis et terrenis circumsaeptis *εὐερκῆ* (Crit. p. 113 d) reddebat. Neque intermittunt incolae ipsi, ut hostes arceant, insulam orbes pontesque muro lapideo munientes (p. 116 a), turres portasque fabricantes (p. 117 e), muro fossaque totam planitiem circumdantes (p. 118 c) terram firmare neque, ut sibi ipsis ad omnia loca aditus pateat, pontibus constructis transitus ad singulos orbes efficere, fossam a mari usque ad orbem extremum ducere (p. 115 c — e) zonas terrae secare, totam regionem fossis recta excisis implere, quibus quidquid terra procreabat in urbem deducant (p. 118 d). Nemo tandem, qui Atlantidis descriptionem consideravit, negare potest urbem atque totam planitiem certo ordine dispositam atque vias fossas omniaque cetera diligentissima metatione accurationeque (p. 115 e sq.; 118 c sq.) posita esse.

Quae insuper philosophus de aquarum usu in utroque dialogo exposuit, paene ad verbum ita conspirant, ut singula comparem:

Leges	Critias
p. 761 a: *⟨ἐπιμελουμένους⟩ τῶν ἐκ Διὸς ὑδάτων, ἵνα - - ὠφελῇ ῥέοντα ἐκ τῶν ὑψηλῶν εἰς τὰς ἐν τοῖς ὄρεσι νάπας ὅσαι κοῖλαι*	p. 111 d: *⟨ἡ χώρα⟩ τὸ κατ' ἐνιαυτὸν ὕδωρ ἐκαρποῦτ' ἐκ Διός, οὐχ ὡς νῦν ἀπολλῦσα ῥέον ἀπὸ ψιλῆς τῆς γῆς εἰς θάλατταν, ἀλλὰ πολλὴν*

τε ἀγορὰν χρὴ κατασκευάζειν καὶ τὴν πόλιν ὅλην ἐν κύκλῳ πρὸς τοῖς ὑψηλοῖς τῶν τόπων εὐερκείας τε καὶ καθαρότητος χάριν· πρὸς δὲ αὐτοῖς οἰκήσεις τε ἀρχόντων καὶ δικαστηρίων. p. 779 b: *τὰς οἰκοδομίας χρὴ τὰς τῶν ἰδίων οἰκήσεων οὕτως ἐξ ἀρχῆς βάλλεσθαι, ὅπως ἂν ᾖ πᾶσα ἡ πόλις ἓν τεῖχος ὁμαλότητί τε καὶ ὁμοιότησιν εἰς τὰς ὁδοὺς πασῶν τῶν οἰκήσεων ἐχουσῶν εὐέρκειαν, ἰδεῖν δὲ οὐκ ἀηδὲς μιᾶς οἰκίας σχῆμα ἐχούσης αὐτῆς.*

1) p. 113 c: *κατὰ δὲ μέσον πάσης* [sc. *νήσου*] *πεδίον ἦν, πρὸς τῷ πεδίῳ δὲ αὖ κατὰ μέσον - - ἦν ὄρος*, quod post arx fit. p. 114 a: *τὴν μητρῴαν οἴκησιν καὶ τὴν κύκλῳ λῆξιν, πλείστην καὶ ἀρίστην οὖσαν.*

2) p. 113 e: *καὶ τὴν νῆσον τὴν Ἀτλαντίδα πᾶσαν δέκα μέρη κατενείμας.*

Leges	Critias
- - - ὅπως ἂν τὰ παρὰ τοῦ Διὸς ὕδατα καταδεχόμεναι καὶ πίνουσαι - - - τοὺς αὐχμηροτάτους τόπους πολυΰδρους τε καὶ εὐύδρους ἀπεργάζωνται.	*ἔχουσα καὶ εἰς αὐτὴν καταδεχομένη - - τὸ καταποθὲν ἐκ τῶν ὑψηλῶν ὕδωρ εἰς τὰ κοῖλα ἀφιεῖσα κατὰ πάντας τοὺς τόπους παρείχετο ἄφθονα - - νάματα.*
p. 761 b: *τὰ δὲ πηγαῖα ὕδατα, ἐάντε τὶς ποταμὸς ἐάντε καὶ κρήνη ᾖ, κοσμοῦντες φυτεύμασί τε καὶ οἰκοδομήμασιν εὐπρεπέστερα καὶ συνάγοντες μεταλλείαις νάματα πάντα ἄφθονα ποιῶσιν.*	p. 117 a: *ταῖς δὲ δὴ κρήναις πλῆθος μὲν ἄφθονον ἐχούσαις - - - ἐχρῶντο περιστήσαντες οἰκοδομήσεις καὶ δένδρων φυτεύσεις πρεπούσας ὕδασιν.*
p. 761 c: *εἴ τί που ἄλσος ἢ τέμενος περὶ ταῦτα ἀφειμένον ᾖ, τὰ ῥεύματα ἀφιέντες εἰς αὐτὰ τὰ τῶν θεῶν ἱερὰ κοσμῶσι*	p. 117 b: *τὸ δὲ ἀπορρέον ἦγον ἐπὶ τὸ τοῦ Ποσειδῶνος ἄλσος - - καὶ ἐπὶ τοὺς ἔξω κύκλους - - οὗ δὴ πολλὰ μὲν ἱερὰ καὶ πολλῶν θεῶν, πολλοὶ δὲ κῆποι*
πανταχῇ δὲ ἐν τοῖς τοιούτοις γυμνάσια χρὴ κατασκευάζειν τοὺς νέους αὐτοῖς τε καὶ τοῖς γέρουσι γεροντικὰ λουτρὰ θερμὰ παρέχοντας.	*καὶ πολλὰ γυμνάσια ἐκεχειρούργητο.* p. 117 a: *δεξαμενάς τε αὖ τὰς μὲν ὑπαιθρίους, τὰς δὲ χειμερινὰς τοῖς θερμοῖς λουτροῖς ὑποστέγους περιτιθέντες.*

Neque improbabile videtur Atlantinorum regum qui ut de conservandis legibus a Neptuno datis deliberent nocte conveniunt (cf. Crit. p. 119 c sq.) consilium esse imitationem, ut ita dicam, coetus illius nocturni (cf. Leg. p. 951 c, 960 b — 969 d), qui in arce regionis habitans (cf. Leg. p. 969 c) ut reipublicae constitutae salus perpetuitasque adsit curat.

Mira denique cum Critiae verbis (p. 121) cognatione coniunctus est Legum locus (p. 716), quo de beatitate hominis, qui in sapientia atque temperantia versatus ut dei quam simili-

mus sit studet, eiusque de miseria, qui a divina lege desciscit et a deo desertus se ipsum suosque omnes evertit, disseritur. Eadem in Critiam ita traducta sunt, ut Atlantini cum a divinis moribus et institutis recesserint, a Jove clade ab Atheniensibus allata puniantur. Ut gravissimi consensus perspicui sint, iterum singula transcribo:

Leg. p. 716 a.	Crit. p. 121 b.
ὁ δέ τις ἐξαρθεὶς ὑπὸ μεγαλαυχίας καταλείπεται ἔρημος θεοῦ, καταλειφθεὶς δὲ καὶ ἔτι ἄλλους - - - σκιρτᾷ ταράττων πάντα ἅμα καὶ πολλοῖς τισιν ἔδοξε εἶναί τις.	τὰ παρόντα φέρειν ἀδυνατοῦντες ἠσχημόνουν - -, τοῖς δὲ ἀδυνατοῦσιν ἀληθινὸν πρὸς εὐδαιμονίαν βίον ὁρᾶν, τότε δὴ μάλιστα πάγκαλοι μακάριοί τε ἐδοξάζαντο εἶναι.
p. 715 d.	p. 121 b.
ὁ μὲν θεὸς εὐθείᾳ περαίνει - - - τῷ δὲ ἀεὶ συνέπεται δίκη τῶν ἀπολειπομένων τοῦ θείου νόμου τιμωρός.	θεὸς δὲ ὁ θεῶν Ζεὺς ἐν νόμοις βασιλεύων - - δίκην αὐτοῖς ἐπιθεῖναι βουληθείς.

Quae satis sint, ut cognoscatur Critiam et Leges in eisdem civilibus studiis atque fundamentis consistere, eo tamen discrimine, quod rationem, quam in Legibus praescripsit, in Critia maximeque in Atlantide describenda quasi ad effectum duxisse et ad usum vitae transtulisse Plato videtur, unde iam opinio oritur Leges Critiam conscribendum antecessisse. Cuius rei profecto certiora argumenta sunt.

Quae causa sit fragilitatis et conversionis civitatum in Legibus (p. 676 b sq.) quaeritur. Plato maxima ex parte eas interire existimat inundationibus, quibus homines, qui in planitiebus habitant, et cultus humanitasque pervertuntur, ineruditis tantum, qui in montibus sedes habent, servatis.

Paene ad verbum eadem, etiamsi brevissime contracta in Timaei exordio (p. 22) et Critia (p. 109 e) ostenduntur:

Leges	Timaeus
p. 677 a: τὸ πολλὰς ἀνθρώπων φθορὰς γεγονέναι	p. 22 c: πολλαὶ καὶ κατὰ πολλὰ φθοραὶ γεγόνασιν ἀν-

κατακλυσμοῖς τε καὶ νόσοις καὶ ἄλλοις πολλοῖς ἐν οἷς βραχύ τι τῶν ἀνθρώπων λείπεσθαι γένος.	θρώπων καὶ ἔσονται πυρὶ μὲν καὶ ὕδατι μέγισται, μυρίοις δὲ ἄλλοις ἕτεραι βραχύτεραι.
p. 677 b: ὡς οἱ τότε περιφυγόντες τὴν φθορὰν σχεδὸν ὄρειοί τινες ἂν εἶεν νομῆς ἐν κορυφαῖς που σμικρὰ ζώπυρα τοῦ τῶν ἀνθρώπων διασεσωσμένα γένους.	p. 22 d: ὅταν δ' αὖ θεοὶ τὴν γῆν ὕδασι καθαίροντες κατακλύζωσιν, οἱ μὲν ἐν τοῖς ὄρεσιν διασῴζονται βούκολοι νομῆς τε [cf. Crit. p. 109 d: τὸ γὰρ περιλειπόμενον γένος ὄρειον καὶ ἀγράμματον].
p. 677 c: θῶμεν δὴ τὰς ἐν τοῖς πεδίοις πόλεις καὶ πρὸς θαλάττῃ κατοικούσας ἄρδην ἐν τῷ τότε χρόνῳ διαφθείρεσθαι;	p. 22 e: οἱ δ' ἐν ταῖς παρ' ὑμῖν πόλεσιν εἰς τὴν θάλατταν ὑπὸ τῶν ποταμῶν φέρονται.
	Critias
p. 678 a: πόλεως δὲ καὶ πολιτείας πέρι καὶ νομοθεσίας, ὧν νῦν ὁ λόγος ἡμῖν παρέστηκεν, ἆρ' ὡς ἔπος εἰπεῖν οἰόμεθα καὶ μνήμην εἶναι τὸ παράπαν; Οὐδαμῶς.	p. 109 e: τὰς δὲ ἀρετὰς καὶ τοὺς νόμους τῶν ἔμπροσθεν οὐκ εἰδότες, εἰ μὴ σκοτεινὰς περὶ ἑκάστων τινὰς ἀκοάς.
p. 678 b: ἆρ' οἰόμεθα, ὦ θαυμάσιε, τοὺς τότε ἀπείρους ὄντας πολλῶν μὲν καλῶν τῶν κατὰ τὰ ἄστη, πολλῶν δὲ καὶ τῶν ἐναντίων; Καλῶς εἶπες.	p. 109 e: ἐν ἀπορίᾳ δὲ τῶν ἀναγκαίων ἐπὶ πολλὰς γενεὰς ὄντες αὐτοὶ καὶ παῖδες.

Manifesta est locorum similitudo. Cum tamen quae in Legibus paulatim longiore dialogo (p. 676 b — 678) disserta et explicata sunt, in Critia Timaeique prooemio, quod una cum Critia scriptum et Timaeo perfecto praepositum esse vidimus, simpliciter quasi omnibus nota sint pronuntiata atque in Atticas res translata deprehenderimus, hunc Legum locum prius quam Critiam conscriptum esse prorsus pro certo affirmari potest; neque erunt, qui superioribus explanationibus con-

spectis ceteras quoque Legum partes Critiam concipiendum praecessisse approbare dubitent. Quibuscum accedit ut consentiant aliae res. Indicia ad scribendi artem et sermonem, i. e. maxime ad quarundam vocum particularumque usum atque hiatum diligenter vitatum pertinentia[1]) Critiam longe arctissima cum extremis Platonis dialogis necessitudine coniunctum esse dilucide demonstrant. Primo autem aspectu Leges multo minus imperfectas esse apparet quam Critiae dialogi fragmentum. Quod tamen nonnulli veteres[2]) produnt non Platonem, sed Philippum Opuntium Leges emisisse[3]) nostrae sententiae haudquaquam repugnare plane Fr. Blass (l. l. p. 62) docuit, quoniam fieri potuerit, ut Philippus Platone vivente eas ederet vel Plato eas conscriptas certis causis adductus contineret. Neque dubium est quin Critias quoque post philosophi mortem in lucem prolatus sit.

Si summum colligimus: reiciatur necesse est quod viri docti adhuc sentiebant, sive velut Zeller[4]) et Susemihl[5]) Platonem priusquam iterum in Siciliam (a. 367) proficisceretur Critiam chartis mandare iam coepisse atque rebus acerbis quae Syracusis ei acciderunt adductum a proposito destitisse, sive velut recentiores eum longius aetate provectum brevi ante Leges hunc dialogum concepisse disputaverunt; potius luculenter intellegitur Platonem, cum media sua aetate (a. 380/70) Rempublicam scriberet[6]), haudquaquam iam Critiam vel trilogiam propositam

1) Cf. W. Lutoslawsky, The origin and growth of Platos logic — 1897, p. 490 sq., qui priorum disputationes (p. 74—140) contulit et adhibuit. Ueberweg-Praechter, Grundriß der Geschichte der Philos. I[10] p. 140—143 et p. 52*—53*.

2) Suidas s. v. φιλόσοφος. Diog. Laert. III, 37. Proclus προλεγ. τῆς Πλατ. φιλοσ. 24.

3) Philippum opus plane imperfectum suscepisse atque certa addidisse vel mutavisse, quam in opinionem J. Bruns (Die Platon. Ges. vor und nach ihrer Herausgabe durch Philipp v. Opus 1880) veniebat, satis refutavit Th. Gomperz (Sitzungsberichte der Wiener Akademie 1902, vol. 145).

4) l. l. II, 1 p. 554.

5) l. l. II, 294.

6) Cf. Zeller, l. l. II, 1 p. 554. — Susemihl, l. l. II, 294 sq.

habuisse, sed longo temporum spatio, quo in Siciliam profectus doctrinam variavit et reges philosophos abiecit, interposito atque non solum Timaeo sed etiam Legibus quas habemus iam perfectis vetus Atheniensium cum Atlantinis bellum in dialogo illustrare eumque una cum Timaei cosmogonia iam absoluta Reipublicae adnectere consilium cepisse atque extremis suae aetatis annis in Critia concipiendo operam consumpsisse, qua ex re satis apparet ne hoc opus perficeret mortem prohibuisse, quod iam Plutarchus[1]) testatur. Critias dialogus non minus ex Legum quam Reipublicae libris pendet; sed philosophum ut Athenas priscas praecipue Reipublicae exemplo instituerit, ita in Atlantinorum rebus depingendis maxime Legum praecepta adhibuisse negari nequit.

Cap. II.
De memoria dialogi.

Codicum Platonicorum qui Critiam continent duo genera discernuntur, longe optimus et vetustissimus Parisinus 1807 (A) atque permulti deteriores libri, quorum magnum numerum Imm. Bekker[2]) pauloque post G. Stallbaum[3]) excusserunt atque in textu recensendo adhibuerunt. Cum C. F. Herrmann[4]) hos viros doctos sequeretur, C. G. Cobet[5]) omnium lectionum fidem et omnia emendationis subsidia uno in illo Parisino A contineri disputavit mendasque sagacitate solita correxit. Cui rationi iure Joannes Burnet[6]) con-

1) Sol. c. 32: ὀψὲ δὲ ἀρξάμενος προκατέλυσε τοῦ ἔργου τὸν βίον.

2) Platon. dial. Gr. et Lat. ed. Berol. 1817; minoris ponderis nostrae quaestioni sunt vetustiores editiones, quas enumeravit C. Praechter, Grundriß der Philosophie I[10] p. 134.

3) Platon. op. omn. proleg. et comment. illustr. Lips. 1821—25.

4) Platon. dial. ed. Lips. 1851—53.

5) Mnemosyne 1875 p. 157 sq., quo loco Critiam, ut in codice A scriptus est, servato versuum ordine descripsit.

6) Platon. op. ed. Oxonii 1906—08; cf. praef. tom. IV et Reipublicae seorsum editae.

tradixit viam ingressus cui iam ante viri docti[1]) in aliis Platonis libris edendis se commiserant. Etenim libris qui nullum fructum tulerunt omissis alios indagavit praeter Parisinum propriam quandam et antiquam memoriam referentes. Ita praeter Parisinum A in Critia edendo adhibuit testem recensionis antiquioris, Vindobonensem 55 (F), qui eiusmodi mendis scatet, ut eum ex pervetusto exemplari uncialibus litteris exarato descriptum esse sumendum sit. Quam deformatus quidem neque vero aliunde interpolatus sit liber, his exemplis optime demonstratur:

p. 110 e:

vulgata lectio: *τῶν περιοίκων*
Vindob. F: *τῶν τὸν περὶ τήν γ' ἄρ' ὃν ἔργωρ*
vera lectio [Paris. A]: *τῶν περὶ γῆν ἀργὸν ἔργων.*

p. 112 d:

vulgata lectio: *τὰ νῦν ὕδατα*
Vindob. F: *τὰ νῦν ἅμα τὰ.*
vera lectio [Paris. A]: *τὰ νῦν νάματα.*

Quae in Vindobonensi leguntur sensu carent, tamen veram lectionem dilucide comprehendunt neque, ut vulgata scriptura, correcta vel interpolata sunt.

Quod ad Timaeum attinet, res non aliter se habet. Tamen in illo recensendo etiam Vindobonensem 21 (Y) pariter a Parisino non pendentem gravioris ponderis esse iam M. Schanz intellexit. Ceterum hoc in dialogo veterum testimonia, imprimis Procli in Timaeum commentarium[2]), quocum Vindobonensis F saepe consentit, neglegi non licet.

Talibus igitur in fundamentis Joannes Burnet in optima Platonis operum editione constituit Timaei et Critiae textum, quem longe maxima ex parte laudamus. In sequentibus de nonnullis locis agam, quibus ab illo dissentio.

Tim. p. 24 e: *νῆσον γὰρ πρὸ τοῦ στόματος εἶχεν ὃ καλεῖτε, ὥς φατε, ὑμεῖς Ἡρακλέους στήλας.*

1) Chr. Schneider, Platon. op. Gr. et Lat., Lut. Paris. 1846—56. — M. Schanz, Plat. op.; cf. Studien zur Geschichte des Platon. Textes, Würzburg 1874.

2) Cf. P. Rawack, De Platon. Tim. quaest. crit. Berol. 1888.

De Atlantico mari agitur, in quo olim insulam ante Herculis ut dicuntur columnas sitam fuisse Plato exponit. Mendosa esse satis patet quae omnes codices atque Proclus memoriae prodiderunt

καλεῖται ὥς φατε ὑμεῖς Ἡρακλέους στήλας;

quam ob rem Burnet, ut orationem persanaret *καλεῖτε, ὥς φατε, ὑμεῖς* scripsit. Cuius coniecturae tamen parum certe fidei est, cum tautologia *καλεῖτε ὥς φατε* non sit ferenda. Immo iam Stallbaum[1]) una littera mutata vitium resarcivit (*ὃ καλεῖται, ὥς φατε ὑμεῖς, Ἡρακλέους στῆλαι*) codicum scripturam lenius ut videtur quam Burnet inflectens. Scriba enim qui proxima *ὥς φατε ὑμεῖς* observaret, verbum *καλεῖται* quod maiore intervallo disiunctum est neglegeret, nominativi *στῆλαι* loco accusativum posuit. Ita Stallbaum verum quidem assecutus est, non autem locum explicavit, cuius haec est interpretatio:

„Ostium, cui vestro i. e. Graecorum sermone nomen Herculis columnarum impositum est“.

Verba *ὥς φατε ὑμεῖς* i. e. *vestro sermone* suppleantur necesse est cogitatione, qua Aegyptios alio suae ipsorum linguae nomine illam regionem affecisse fingitur. Nimirum Plato veritatem et subtilitatem mythi traditi ut firmaret vel augeret, iterum et saepius studebat. Aliis autem locis nomina, quibus barbari utebantur, addidit, velut

Tim. 21 e: *πόλεως θεὸς ἀρχηγός τίς ἐστιν, Αἰγυπτιστὶ μὲν τοὔνομα Νηίθ, Ἑλληνιστὶ δὲ ὡς ὁ ἐκείνων λόγος, Ἀθηνᾶ.*

Crit. 114 b: *τῷ δὲ διδύμῳ - - Ἑλληνιστὶ μὲν Εὔμηλον, τὸ δὲ ἐπιχώριον Γάδειρον* (sc. *ὄνομα ἔθετο*).

Cf. Crit. p. 113 a b: *μὴ πολλάκις ἀκούοντες Ἑλληνικὰ βαρβάρων ἀνδρῶν ὀνόματα θαυμάζητε κτλ.*

Tim. p. 25 d: *διὸ καὶ νῦν ἄπορον καὶ ἀδιερεύνητον γέγονεν τοὐκεῖ πέλαγος πηλοῦ κάρτα βραχέος ἐμποδὼν ὄντος, ὃν ἡ νῆσος ἱζομένη παρέσχετο.*

Multum difficultatis hoc in orationis ambitu, in quo lutum ex Atlantide insula submersa relictum enarratur illas maris

1) In ed. vol. VII p. 100 adn.

partes invias fecisse, afferunt verba *κάρτα βραχέος*. Vehementer enim inter se repugnant codices, qui haec exhibent

A: *κάρτα βαθέος* (sed *ϱταβ* et *ϑ* in ras.); in margine *κατὰ βραχέος* (sed ad *κάρτα* schol. *σφόδϱα*),
F: *καταβϱαχεος,*
Y: *κατὰ βϱαχέος,*
Proclus: *καταβϱαχέος,*

et nostrae aetatis critici, quorum e numero Bekker codicis A auctoritate nisus *κάρτα βαθέος* probavit, C. F. Hermann et Burnet librorum F et Y lectionibus leviter immutatis *κάρτα βραχέος* scripserunt, Stallbaum nullo codice fretus *κάρτα τραχέος* coniectura tentavit. Quae omnes tamen molestissimae sunt scripturae. Ut ab optime tradita incipiam, vox *καταβραχύς* ab usu loquendi abhorret, neque minus *κάρτα βραχέος* reiciendum est, quoniam absurdum esse apparet attributo *βραχύς* id ipsum exornare, quod *τὴν βραχύτητα* efficit. *βραχύς* enim de partibus maris brevibus dicitur, ut *βραχέα* loca vadosa vel syrtes sunt, cuius rei graves exstant testes.[1]) Neque quidquam melioris frugis inest in Parisini scriptura *κάρτα βαθέος*, quae insuper in litura legitur, ut pro *κάρτα βραχέος* eam ab interpolatore substitutam esse magna sit suspicio. Nam lutum profundum sit necne quid refert, cum de vadosa maris natura verba fiant? Atque eadem ex causa in Stallbaumii opinione acquiescendum esse negaverim, ut alia ratione locum sanari oporteat. Neque enim damno irreparabili eum laborare puto, sed proclive ad sanum sensum revocari, si *καταβραχεος* vel *κατὰ βραχέος* vel *καταβραχέος*, quod plurimis in codicibus legitur, adnotatione veteris alicuius interpretis, qui *κατὰ βραχέων* (sc. *λέγει*) i. e. *„de brevibus vadis agitur"* ad marginem adscripsit, in textum venisse atque ex continuatione verborum jure expungendum esse concedatur. Vocabulum quod vocem *πηλοῦ* accuratius explicat sive adest sive deest, orationis forma non mutatur; lectio autem plurimorum codicum *καταβραχέος* unde exorta sit apertum est, si recta sunt, quae dis-

1) Herodot. II, 102: *ἀπικέσθαι ἐς θάλασσαν οὐκέτι πλωτὴν ὑπὸ βραχέων.* Thucyd. II, 91: *αἱ δὲ καὶ ἐς βραχέα ἀπειρίᾳ χωρίων ὤκειλαν.* Aristot. Meteor. 354 a: *τὰ δὲ ἔξω τῶν στηλῶν βραχέα διὰ τοῦ πηλοῦ.* Cf. Lobeck, Phrynich. p. 556/57.

putavi. Facillime pro *κατὰ βραχέων* scribam *καταβραχέος* legere potuisse ostendi non oportet, revera autem interpretem aliquem, cuius verba post librarius quidam perperam in textum recepit, ad hunc locum explicandi causa *κατὰ βραχέων* adiecisse imprimis stabilire videntur Aristotelis verba, qui de isdem partibus maris ita disputat (Meteor. 354 a): *τὰ δὲ ἔξω τῶν* (*Ἡρακλέους*) *στηλῶν βραχέα διὰ τοῦ πηλοῦ.* Ceterum Herodotus quoque de meridionalibus Oceani partibus similia commemorat II, 102: *θάλασσαν οὐκέτι πλωτὴν ὑπὸ βραχέων.*

Crit. p. 111 c: *καὶ τὰ φελλέως νῦν ὀνομασθέντα πεδία πλήρη γῆς πιείρας ἐκέκτητο* [sc. *ἡ Ἀττική*] Burnet codicis A lectionem secutus scripsit, cum in F *φελλέας* legatur. Iamdudum constat vocem *φελλεύς* ab eadem origine manare atque verba *φελλός, φελός, φέλλα, φέλα* quae lapidem durum valent, pro quo Macedones *πέλλα* vel *πέλα* dicebant [cf. ***Πέλλα,*** caput Macedoniae], atque ab eodem vocabulo formarum *φέλλιον* (Xen. cyneg. V, 18), *φελλεῖς* (I. Gr. II, 2, 1055) aliarumque originem trahendam esse, quae velut *φελλεύς* (Isaeus VIII, 42; Aristoph. nub. 71, Acharn. 273; Alciphron III, 21, 2) loca saxosa et petrosa significant. Quaestio est vox *φελλεύς*, quam nostro loco Plato adhibuit, utrum nomen proprium an appellativum sit. Sauppe[1]) eis quae veteres[2]) de voce sciebant nisus eam non certum Atticae montem[3]), cum diversis Atticae regionibus loci fuerint, quibus hoc nomen aptum erat, sed appellativum esse demonstravisse sibi videtur, unde per se sequeretur, ut legendum sit *τὰ φελλέας νῦν ὀνομασθέντα πεδία* i. e. *agri qui nunc φελλεῖς nominari solent.* Neque quidquam huic scripturae adversari videtur; at quomodo genetivus *φελλέως*, quo probato *Φελλεύς* nomen proprium habendum atque littera maiuscula scribendum est, in codices venit! Quae codicis A lectio ut a crimine vindicetur ac firmetur alia forsitan effici potest

1) Epist. critic. ad Godofr. Hermann p. 59 sq., 63.
2) Photius, Hesych. s. v. *φελλεύς* schol. ad Aristoph. Acharn. 273, ad Crit. 111 c. Harpocration s. v. *φελλέα*. Bekker, anecd. Graec. I, 315, 10.
3) Cf. Steph. Byz. *Φελλεὺς ὄρος τῆς Ἀττικῆς.*

ratione, quam Ottonis Kern benignitati debeo. *Φελλεύς* nomen proprium et heros eponymus regionum petrosarum factus est eodem modo, quo *Σκίρων* (cf. *Σκιρωνίδες πέτραι*) vel *Σκῖρος* (cf. Paus. I, 36, 4), quae vox cum vocabulis *σκίρος*, *σκεῖρος*, *σκίῤῥος*, quae gypsum vel lapidem calcarium significant, cognata est[1]), heros eponymus terrarum calce plenarum est appellatus. Non mirum, quod Plato rem pervertebat atque locum a viro nomen accepisse disputat, cuiusmodi errores saepe in veterum litteris inveniuntur.[2])

Crit. p. 114 b: *⟨ὀνόματα δὲ πᾶσιν ἔθετο⟩ τῷ δὲ διδύμῳ μετ' ἐκεῖνόν τε γενομένῳ, λῆξιν δὲ ἄκρας τῆς νήσου πρὸς Ἡρακλείων στηλῶν εἰληχότι ἐπὶ τὸ τῆς Γαδειρικῆς νῦν χώρας κατ' ἐκεῖνον τὸν τόπον ὀνομαζομένης, Ἑλληνιστὶ μὲν Εὔμηλον, τὸ δ' ἐπιχώριον Γάδειρον, ὅπερ τ' ἦν ἐπίκλην ταύτῃ ὄνομ' ἂ⟨ν⟩ παράσχοι.*

Verba quae codices exhibent

A: *ὅπερ τ' ἦν ἐπίκλην ταύτῃ ὄνομα παράσχοι,*

F: *ὅπερ τ' ἂν ἐπίκλησιν ταύτην ὄνομα παράσχοι.*

defectu laborare apparet. Nam codicis A scriptura, quam Burnet leniter correctam[3]) accepit, haud scio quid sibi velit. Quod autem ad codicis F lectionem attinet, et illud *τε* in Atticorum sermone supervacuum vel pravum est et aliquid incommodi inhaeret in optativo cum particula *ἄν* connexo, quem in tempora praesentia, non praeterita referre Attici solebant. Neque enim dubium est Plato quin demonstrare voluerit Gadiri regis nomen regno eius cognomen dedisse. Cum paulo ante sine dubitatione pronuntiatum sit Atlantidem insulam et Atlanticum mare a rege Atlante nomen cepisse[4]), hoc quoque loco indicativum praeteriti

1) Cf. C. Robert, Herm. XX, 349 sq.

2) Cf. exempli gratia Pausan. I, 36, 4: *τῷ τε χωρίῳ τὸ ὄνομα ἀπὸ τοῦ ἥρωός ἐστι καὶ τῷ ποταμῷ.*

3) Pro *ὄνομα* (*μα* in macula A, F) *ὄνομ' ἂν* posuit.

4) Cf. proxime praecedentia verba (p. 114 a) *τῷ πρεσβυτάτῳ καὶ βασιλεῖ τοῦτο* (sc. *ὄνομα ἔθετο*), *οὗ δὲ καὶ πᾶσα ἡ νῆσος τό τε πέλαγος ἔσχεν ἐπωνυμίαν Ἀτλαντικὸν λεχθέν, ὅτι τοὔνομ' ἦν τῷ πρώτῳ βασιλεύσαντι τότε Ἄτλας.*

temporis expectamus. Quam ob rem mutatione codicis A quae nulla est facta hanc esse rectam orationem puto: *Γάδειρον, ὅπερ γ' ἦν ἐπίκλην ταύτῃ ὄνομα παρασχόν* i. e. *Gadirum, quod nomen huic terrae* (sc. *λῆξει ἄκρας τῆς νήσου*) *cognomen* (sc. Gadiriae) *dedit*. Et particularum *περ* atque *γε* compositarum et participii cum copula coniuncti usus Platoni in promptu erat[1]), atque cum Hesychius fuisse testetur nomen substantivum *ἐπίκλη* (= *ἐπίκλησις, ἐπωνυμία*) quod Plato in Timaeo[2]) quoque adhibuisse videtur, lectionem *ἐπίκλην* quae, cum ab usu remota esset, facile in *ἐπίκλησιν* immutari poterat ex manu philosophi fluxisse verisimile est.

Crit. p. 116 e: *περὶ δὲ τὸν νεὼν ἔξωθεν εἰκόνες ἁπάντων ἕστασαν ἐκ χρυσοῦ, τῶν γυναικῶν καὶ αὐτῶν ὅσοι τῶν δέκα ἐγεγόνεσαν βασιλέων καὶ πολλὰ ἕτερα ἀναθήματα μεγάλα τῶν τε βασιλέων καὶ ἰδιωτῶν.*

De circumspectu Neptuni templi agitur, quo loco et imagines (*εἰκόνες*) mulierum regiarum eorumque qui ex regibus decem descenderant et multa alia dona, quae reges et privati dedicaverant, statuta fuisse traditur. Primo aspectu decem regum ipsorum imagines deesse elucet, at verba *τῶν τε βασιλέων καὶ* in vicinia post voces *ἀναθήματα μεγάλα* praeter rem legi videntur. Verbis enim supra transcriptis respondet oratio proxime ea praecedens, in qua Plato interiores templi partes depinxit et statuam dei, quam publice locatam fuisse ex sequentibus[3]) apparet, et multa alia adfuisse deorum simulacra, quae privati dedicaverant, ostendit, velut nostro loco de exterioribus templi partibus disputat. Opponuntur autem in utroque orationis circuitu dona publica et privata, atque verba prioris orationis *πολλὰ δ' ἄλλα ἀγάλματα ἰδιωτῶν ἀναθήματα ἐνῆν* aeque responderent alterius verbis *πολλὰ ἕτερα ἀναθήματα μεγάλα τῶν τε βασιλέων καὶ ἰδιωτῶν*, nisi adversarentur voces *τῶν τε βασιλέων καὶ*, quae hanc ob rem removendae

1) Cf. Kühner-Blass, Griech. Gramm. II, 2 p. 176 sq.; II, 1 p. 38 adn.

2) p. 38 c: *ἥλιος καὶ σελήνη καὶ πέντε ἄλλα ἄστρα ἐπίκλην ἔχοντα πλανητά.*

3) *πολλὰ δ' ἄλλα ἀγάλματα ἰδιωτῶν ἀναθήματα ἐνῆν.*

sunt. Quae cum ita sint, orationem supra descriptam satis apte ita transponi velim concedatur: *περὶ δὲ τὸν νεὼν ἔξωθεν εἰκόνες ἁπάντων ἕστασαν ἐκ χρυσοῦ, τῶν τε βασιλέων καὶ τῶν γυναικῶν καὶ αὐτῶν, ὅσοι τῶν δέκα ἐγεγόνεσαν βασιλέων. καὶ πολλὰ ἕτερα ἀναθήματα μεγάλα ἰδιωτῶν.* In archetypo codicum verba *τῶν τε βασιλέων καὶ* librarii oscitantia in inferiorem versum translata sunt.

Addo duos locos, quos quod ad textum attinet Burnet recte constituit, qui tamen explicatione egere mihi videntur.

Crit. p. 112 d: *κατῴκουν - - - πλῆθος δὲ διαφυλάττοντες ὅτι μάλιστα ταὐτὸν αὐτῶν εἶναι πρὸς τὸν ἀεὶ χρόνον ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν τὸ δυνατὸν πολεμεῖν ἤδη καὶ τὸ ἔτι, περὶ δύο μάλιστα ὄντας μυριάδας.*

Ita recte cum Vindobonensi scribitur, cum lectio codicis A *ἤδη καὶ τότε ἔτι* depravata sit neque coniecturam C. F. Hermanni[1]) *ἤδη καὶ τότε* accipi liceat. Nam in forma *ἤδη καὶ τότε ἔτι* verba *ἤδη* et *ἔτι* aliud ab alio excluditur; *ἤδη καὶ τότε* autem cum verbis sequentibus coniungendum esset, quod ineptum est, quoniam hac condicione verba *τὸ δυνατὸν πολεμεῖν* supervacanea essent. Toto enim in capite iam de propugnatoribus, i. e. de eis, qui bella gerunt, agebatur. Neque vero Vindobonensis quoque scriptura quam accepimus explicari potest, ut Burnet Cobetum secutus vult. Qui componi disputat[2]) in militia iuniores (*τὸ ἤδη δυνατὸν πολεμεῖν*) et seniores (*τὸ ἔτι δυνατὸν πολεμεῖν*), quibus *τὸ οὐκέτι δυνατόν* (qui ob aetatem habent iustam militiae vacationem) et *τὸ οὔπω δυνατόν* (qui nondum sunt in aetate militari) opponantur. At talis partitio nulla in toto libello eius mentione facta vix Platoni attribui potest. Potius quod *τὸ ἔτι* „posthac" est, *ἤδη* autem una cum vocabulo *καὶ* incrementum affert[3]), verba *τὸ δυνατὸν πολεμεῖν ἤδη καὶ τὸ ἔτι* ita exponenda sunt, ut iam Stallbaum[4]) interpretatione singularum vocum tamen praetermissa transtulit:

1) In editione.
2) Mnemos. 1875 p. 204.
3) *ἤδη καὶ* = et etiam, cf. Kühner-Blass, Griech. Gramm. II, 2, 122; Plat. Symp. p. 204 b: *δῆλον δὴ τοῦτο γε ἤδη καὶ παιδί.*
4) In edit. VII, p. 403/04.

„[*curaverunt, ut semper virorum et mulierum eadem esset multitudo*], *qua re accidebat, ut etiam posthac bellum gerere possent*".

Crit. p. 113 c: *πρὸς θαλάττης μέν, κατὰ δὲ μέσον πάσης πεδίον ἦν - -, πρὸς τῷ πεδίῳ δὲ αὖ κατὰ μέσον σταδίους ὡς πεντήκοντα ἀφεστὸς ἦν ὄρος βραχὺ πάντῃ.*

Quae in codicibus ita rectissime leguntur Susemihl[1]) corrupta habet, cum disputet verba *αὖ κατὰ μέσον* praecedentibus *πρὸς τῷ πεδίῳ* repugnare atque ex capitibus 115 et 118 satis patere montem non in media planitie situm fuisse. Praeterea illum a mari non 50 sed 61 stadia afuisse. Quibus ex causis *αὖ θαλάττης σταδίους ὡς ἑξήκοντα* coniecit ratus propter praecedens *πρὸς θαλάττης μὲν κατὰ δὲ μέσον* verba *κατὰ μέσον* et *θαλάττης* permutata esse. Omnes hae deliberationes quam infirmae sint, illico cognoscetur. Atque primum verba *σταδίους ὡς πεντήκοντα ἀφεστὸς ἦν ὄρος* optime consentiunt cum ceteris rationibus (p. 115 d) *διώρυχα μὲν γὰρ ἐκ τῆς θαλάττης ἀρχόμενοι - - - μῆκος δὲ πεντήκοντα σταδίων ἐπὶ τὸν ἐξωτάτω τρόχον συνέτρησαν.* Consentaneum est Platonem dicere voluisse radices, non verticem montis quinquaginta stadia a mari afuisse. Spatium autem, quod olim mons tenebat cuiusque diameter viginti septem stadia explebat, circulis terrenis maritimisque effarciebatur, quo ex tempore Neptunus montem circumsciderat (cf. p. 113 d: *περιρρήγνυσι*). Porro *κατὰ μέσον* utroque loco nihil aliud significat nisi „*in media longiore parte*". Oblonga enim forma erat et insula et planities[2]), et in media longiore parte utriusque planities vel mons (cf. p. 118 a c) iacebat, quamobrem *κατὰ μέσον* neutiquam expungi licet, sed potius ita verba *πρὸς τῷ πεδίῳ αὖ κατὰ μέσον* transferri necesse est:

„*hac in planitie, iterum in media longiore parte (mons est)*".

Restat, ut probetur *πρὸς τῷ πεδίῳ* „in planitie" significare posse, i. e. Platonem *πρὸς* cum dativo iunctum in vim verbi *ἐν* usurpavisse. Qualis usus a consuetudine solutae orationis quidem alienus est, neque vero poetarum. Optimus testis Sophocles est: Trach. v. 371:

1) In Critiae translatione, 1857, p. 920, adn. 40.
2) Cf. Crit. 118 a: *τὸ πεδίον προμηκὲς δὲ πᾶν κτλ.*

καὶ ταῦτα πολλοὶ πρὸς μέσῃ Τραχινίων
ἀγορᾷ συνεξήκουον (in medio foro),

quibuscum cf. v. 423:

- - - ἐν μέσῃ Τραχινίων
ἀγορᾷ πολὺς σοῦ ταῦτά γ' εἰςήκουσ' ὄχλος.

praeterea cf. Oed. reg. v. 181: *πρὸς πέδῳ κεῖται.*

Platonem autem, ut poeta erat, verba inusitata et poetica saepe adhibuisse satis constat et insuper his exemplis ex Critia depromptis declaretur:

p. 112 c, 113 e: *οἷα* pro *οἷον*
p. 113 e: *πρόςβορρα* pro *πρὸς βορρᾶ*
p. 114 b: *ἐπίκλη* pro *ἐπίκλησις*
p. 116 c: *ἐφίτυσαν* pro *ἐγέννησαν*[1])
p. 116 c: *βασιλειδῶν* pro *βασιλέων.*

Ceterum quibusdam in rebus hoc in dialogo imitatus esse videtur Homerum ipsum. Cuius exemplum iam similitudinum multitudo[2]) indicat. Accedit lata et verbosa oratio omniumque rerum descriptio. Simillimo modo Alcinoi regia (Odyss. *η* 85 sq.) atque Neptuni templum (Crit. p. 116 d) depinguntur eademque latitudine omnes Alcinoi horti (*η* 112—131) atque Atlantidis fructus (p. 114 e sq.) enumerantur. Omnino tota in Atlantide effingenda Phaeacum terrae descriptionem Plato ante oculos habuisse videtur. Scheria et Atlantis tam miris felicibusque rebus exornatae ad illas in occidentem fabulosas insulas eorum, qui aeterna felicitate fruuntur, lectorum animos reiciunt. Et Phaeaces et Atlantini maritimis rebus valent (cf. *ζ* 270 sq., Crit. 116/17), utrique genti Neptunus praeest, qui cum mortali muliere regiam familiam gignit (*η* 56 sq., Crit. 113 c), utriusque nomina in mare

1) Iure iam Cobet (Mnem. 1875 p. 205—208) verba *καὶ ἐγέννησαν* emblema explicatoris esse arbitratus hoc loco exstinxit.

2) Tim. 19 b: *οἷον εἴ τις ζῶα καλά που θεασάμενος κτλ.* 21 a: *οἷόν περ ὑμνοῦντας.* 26 c: *οἷον ἐγκαύματα ἀνεκπλύτου γραφῆς.* Crit. 106 a: *οἷον ἐκ μακρᾶς ἀναπεπαυμένος ὁδοῦ.* 109 a: *ἡ τοῦ λόγου διέξοδος οἷον ἀνειλλομένη τὸ προστυχόν.* 109 b: *οἷον νομῆς ποίμνια; καθάπερ ποιμένες κτήνη πληγῇ νέμοντες.* 109 c: *ἐκ πρύμνης ἀπευθύνοντες οἷνο οἴακι.* 111 a: *οἷον ἄκρα.* 111 b: *οἷον νοσήσαντος σώματος ὀστᾶ.* 112 b: *οἷον μιᾶς οἰκίας κῆπον.* 113 d: *οἷον τορνεύων.* 116 b: *οἷον ἀλοιφῇ προσχρώμενοι.* 121 a: *οἷον ἄχθος.*

atque Neptuni regnum ducunt, velut apud Homerum *Ναυσίθοος*, *Ναυσικάα*, in Critia (114 b c) *Ἀμφήρης* (*ἀμφήρης, ἐρέσσω*), *Ἐλασίππος* (*ἐλαύνω, ἵππος*), (113 d) *Λευκίππη* (*λευκὸς ἵππος*)[1]). Etiam in illis insulae Atlantidis quorum alter gelidas, alter calidas aquas effundit fontibus describendis (cf. Crit. 113 e, 117 a) ex Scamandri scaturiginibus (cf. Il. *X*, 147 sq.) Platonem exemplum sumpsisse verisimile est.

Cap. III.
Singulae dialogi partes perquiruntur.

Tim. p. 20 d—21 d: Quae sit narrationis traditio ostenditur.

Solo in Aegypto a sacerdotibus Minervae Saiticae eruditus fabulam Atlanticam Athenas tulisse dicitur, qua in urbe eam narravit Critiae Dropidis filio, qui nonaginta annos natus nepoti Critiae, Callaeschri[2]) filio, qui dialogo nomen dedit tumque decem annos habebat, narrationem rettulit. Temporum computationem praefracte vetare rem ita traditam esse iamdudum intellexerunt viri docti, qui diverso modo discrepantiam solvere conati sunt. Solone enim circa annum 560 mortuo Critiam maiorem nepoti non posteriore quam circa annum 480 aetate mythum exposuisse apparet, quibus praepositis Critias minor, cum anno 404 tyrannus erat Athenis, iam 86 annos explevisset, quod veritati repugnat. Quam ob rem C. O. Müller[3]) et Joh. Kirchner[4]) alterum Critiam Dropidis filium, qui revera tyranni avus erat, cum Critias qui Solonis aetate vivebat eius abavus esset, interserebant. Certum quidem videtur Soloni quendam Dropidem eiusque filium Critiam aequales fuisse, cuius rei Solo ipse

1) Cf. O. Kern, Archiv für Geschichte der Philosophie II, 1889 p. 176.
2) Cf. Plat. Charm. p. 157 a.
3) Griechische Litteraturgesch. I[4], 304.
4) Prosopograph. Att. I, 8789—92.

testis est[1]), neque Critiae, Callaeschri filio qui tyrannus anno 404 erat Plato quin dialogum attribuerit in dubio poni potest[2]). At inter hos alterum Critiam eiusque patrem Dropidem vixisse valde infirma sunt testimonia[3]). In Charmide domum (p. 157 e: *ἥτε γὰρ πατρῴα ὑμῖν οἰκία, ἡ Κριτίου τοῦ Δροπίδου*) Critiae celebratam esse a Solone Anacreonteque traditur, quae res indicat utrumque laudavisse domum eiusdem Critiae, cuius Solo in illo versu mentio facit quemque cum ad summam senectutem veniret usque ad Anacreontis aetatem vixisse non improbabile est. Immo vero ab his discrepat Anacreontem Critiam dilexisse, quod Aeschyli Promethei scholiasta (ad vers. 128) enuntiat. Cui quanta tamen fides attribuenda est? Quam facile vetus obtrectator talia fingere potuit ex illis Platonis verbis vel personis confusis ex Critiae minoris elegia[4]), in qua Anacreontem celebrat! Timaei autem verba nullam auctoritatem habere satis superque ex eo cognoscitur, quod Platonem hoc loco in chronologia erravisse[5]) certum est atquè philosopho summae curae erat, ut Solon et Critias minor quam propinquissima cognatione coniungerentur et narratio quam brevissimo itinere hac in familia usque ad Critiam afferretur, quare fides totius narrationis augeretur[6]).

---

1) Aristot. Rhet. 1375 b, I, 15 (Solon fragm. 17); cf. Charm. 157 e, Tim. 20 e: ex verbis *φίλος ἡμῖν Δροπίδου τοῦ προπάππου, καθάπερ λέγει πολλαχοῦ καὶ αὐτὸς ἐν τῇ ποιήσει* elucet Platonis temporibus fuisse Solonis carmina, in quibus Dropidis mentio fiebat.

2) Cf. Joh. Kirchner l. l. I, 8792.

3) Charm. p. 157 e; Schol. ad Aeschyl. Prometh. v. 128; Tim. p. 20 e.

4) Cf. Diels, Vorsokratiker II², 613.

5) Platonem, quamvis omnia ut vera haberentur studeret, in temporum ratione saepe peccavisse illustravit E. Zeller, Abhandl. der Akadem. d. Wiss., Berlin 1873, p. 79—99.

6) Summo labore philosophus assidue id egit, ut veritatem Athenarum priscarum et totius mythi firmaret, atque permultis locis in disputationis cursu animos lectorum in fidem rerum vertebat: Tim. 20 d: *λόγου παντάπασι μὴν ἀληθοῦς, ὡς Σόλων ἔφη.* 23 a: *ὅσα παρ' ὑμῖν γέγονεν πάντα γεγραμμένα ἐν τοῖς ἱεροῖς καὶ σεσωσμένα.* 26 b c: *θαυμάσαιμι ἂν εἴ τί με αὐτῶν διαπέφευγεν.* 26 e: *τό τε μὴ πλασθέντα μῦθον, ἀλλ' ἀληθινὸν λόγον εἶναι.* Crit. 108 d: *κλητέον καὶ δὴ καὶ τὰ μάλιστα Μνημοσύνην.* 110 a: *λέγω τεκμαιρόμενος κτλ.* 110 d: *πιθανὸν καὶ ἀληθὲς ἐλέγετο.* 111 d: *σημεῖα ὅτι περὶ αὐτῆς ἀληθῆ λέγεται τὰ*

Neque Susemihli[1]) sententia qui Platonem nonnisi in octoginta annorum numero peccavisse disputavit probabitur, cum haud credibile sit familiam inter 180 annos (580—404) tribus tantum ex gradibus constare. Ita quomodo stemma Critiae familiae sit constituendum, in medio relinqui oportet, id tantum Platonem fabulam Atlanticam haudquaquam Solone auctore accepisse, sed eius traditionis rationem finxisse in propatulo est.

p. 21 c — 23 c: Quae sit origo mythi ostenditur.

Solon in Saiticam regionem venisse dicitur, ubi omnia quae homines per annos memoria digna gesserant litteris mandata atque ad posteritatem servata erant, cum Graeci prisci aevi cognitione orbati essent. — Plato hoc aliisque locis[2]) plenam Aegypti cognitionem habere videtur; quaestio est hancne terram ipse adierit viderítque. Plerique ex illa philosophi Aegyptiarum rerum notitia et Ciceronis[3]) aliorumque testimoniis aiunt, C. Praechter[4]) iure negat, cum neque in philosophorum academicorum indice Herculanensi neque in epistulis Platonicis iter in Aegyptum habitum attingatur et quae Olympiodorus[5]) de hac re profert adiecta esse magna sit suspicio. Cui sententiae hunc Timaei locum praesidio esse existimo. Neque enim P. Neumann[6]) philosophum, nisi suis ipsius oculis Aegyptiorum opera vidisset, non tam confidenter et definite de eis loqui potuisse recte disputavit. Non modo tota in Graecia ex Hecataei Herodotique temporibus Aegyptum satis compertam

---

νῦν. 112 e: *μνήμης ἂν μὴ στερηθῶμεν, ὧν ὅτι παῖδες ὄντες ἠκούσαμεν κτλ.* 113 a: *Σόλων - - ἀπεγράφετο, καὶ ταῦτά γε δὴ γράμματα παρὰ τῷ πάππῳ τ' ἦν καὶ ἔτ ἔστι παρ' ἐμοὶ νῦν διαμεμελέτηταί τε ὑπ' ἐμοῦ παιδὸς ὄντος.*

1) Genet. Entwickl. d. Platon. Philosophie II, 473.

2) Tim. 24 a — c; Phaedr. 247 c, Rep. 435; Politic. 264 c, 290 d, Leg. 656 d, 747 c, 799 a, 819 a.

3) De fin. V, 29, de rep. I, 10.

4) Gött. Gel. Anz. 1902, p. 959—62.

5) Vit. Plat. p. 4 (ed. Cobet.); omnibus philosophi peregrinationibus iam relatis *ἰστέον δ' ὅτι καὶ εἰς Αἴγυπτον*, inquit, *ἀπῆλθε πρὸς τοὺς ἐκεῖ ἱερατικοὺς ἀνθρώπους κτλ.*

6) De locis Aegyptiacis in Plat. op. diss. Vratisl. 1874.

fuisse certum est, sed etiam hoc loco philosophus nequaquam suam ipsius spectationem, sed potius Herodoti libros secutus Aegyptias res descripsisse videtur, cuius rei haec sunt argumenta:

Solonem in Saiticum pagum, cui Minerva-*Νηίθ*[1]) praeerat, venisse Plato pronuntiat (p. 21 e) eademque regio et dea Herodoto maxime curae erat (cf. II, 59; 170; 175 etc.). Optimi gravissimarum rerum testes et Soloni et Herodoto sacerdotes in urbe Saï erant:

Tim. 22 a: *τὰ παλαιὰ ἀνερωτῶν ποτε τοὺς μάλιστα περὶ ταῦτα τῶν ἱερέων ἐμπείρους σχεδὸν οὔτε αὐτὸν οὔτε ἄλλον Ἕλληνα οὐδένα οὐδὲν ὡς ἔπος εἰπεῖν εἰδότα περὶ τῶν τοιούτων ἀνευρεῖν.*

Herod. II, 28: *οὐδεὶς ὑπέσχετο εἰδέναι, εἰ μὴ ἐν Αἰγύπτῳ ἐν Σάϊ πόλι ὁ γραμματιστὴς τῶν ἱρῶν χρημάτων.*

Accedit quod est permagni momenti: iam P. Rawack[2]) censebat orationem (p. 21 e) *Σαϊτικὸς ἐπικαλούμενος νομός, τούτου δὲ τοῦ νομοῦ μεγίστη πόλις Σάις, ὅθεν δὴ καὶ Ἄμασις ἦν ὁ βασιλεύς* lectores relegasse ad Herodoti historias II, 172: *ἐβασίλευσε Ἄμασις, νομοῦ μὲν Σαίτεω ἐών.*[3]) Atque revera particula *καὶ* inter verba *ὅθεν δή* et *Ἄμασις ἦν ὁ βασιλεύς* cogitari non potest nisi Platonem ad aliquid certum omnibusque notum reicere voluisse probatur. Ad Herodoti autem libros qui omnium tum in ore erant eam referendam esse eo libentius concedo, quo probabilius habeo etiam Platonis orationem (p. 21 e) *μάλα δὲ φιλαθήναιοι καί τινα τρόπον οἰκεῖοι τῶνδ' εἶναί φασιν* respondere verbis Herodoti II, 178: *φιλέλλην δὲ γενόμενος ὁ Ἄμασις ἄλλα τε ἐς Ἑλλήνων μετεξετέρους ἀπεδέξατο,* atque Platonem consilio vocem *φιλέλλην* vocabuli *φιλαθήναιος* fictione explevisse. Quibus comprobatis si ipse Aegyptum adisset, nescio quae causa fuisset quare non suam illius regionis peritiam impenderet, sed Herodotum imitaretur.

Quae cum ita sint iam eorum sententiae refutatae sunt, qui Platonem ipsum narrationem Atlanticam in Aegypto ex sacerdotibus sive ficta[1]) sive vera[2]) dicentibus cognovisse et dialogo subiecisse putaverant.

1) Cf. Mallet, Le culte de Neith p. 125 sq.
2) l. l. p. 10.
3) Cf. II, 169: *ἐς Σάϊν πόλιν - - - τότε δὲ Ἀμάσιος ἤδη βασιλήια.*

p. 22 c — 23 b interiecta est quaestio, quare accideret ut Aegyptiis solis, cum Graeci priscarum rerum ignari essent, illa vetera servarentur: *πολλαὶ καὶ κατὰ πολλὰ φθοραὶ γεγόνασιν ἀνθρώπων καὶ ἔσονται πυρὶ μὲν καὶ ὕδατι μέγισται, μυρίοις δὲ ἄλλοις ἕτεραι βραχύτεραι.* Quae verba haudquaquam, ut Stallbaum[3]) vult, cum Anaximandri vel Heracliti sententiis[4]) comparanda sunt quae de genesi et interitu totius mundi agunt. Etiamsi enim non dubium est Plato alibi[5]) quin illos secutus sit, hoc loco [velut in Legibus (p. 676 b sq.), qua de re primo in capite (p. 16) verba facta sunt] de interitu hominum et de mutationibus quae nonnisi in terrae superficie certis temporibus fiunt, i. e. de geologiae quaestionibus disserit. Ita iam lectores ad ea, quae paulo post (Tim. p. 25 c — d) explicaturus erat, praeparavit. Ex illis eversionibus accidit, ut ignis homines, quibus in montibus domicilium est, aqua eos interimat, qui in planitie apud flumina habitant atque cultum humanitatemque curant; at Aegyptii ab igni, cum Nilus extra ripas diffluat, ab aqua, cum in Aegypto numquam desuper imbres effundi[6]) soleant, tuti sunt. Ita ab Aegyptiis in locis sacris omnia de hominum factis litteris mandata servata sunt[7]), cum apud ceteros populos perierint, ubi *ῥεῦμα οὐράνιον* ingruit.

1) H. Martin, Études sur le Timée I, 330. — Stallbaum, Prol. ad Crit. p 375 et adn. ad Tim. p. 24 e, qui addit Aegyptios iam Americam animo praesensisse! — Neumann, l. l. p. 9.
2) Christ, Abhandl. der bayrischen Akademie der Wissensch. Philol. Klasse 1886, tom. XVII, 507, qui universum opus positum esse explicavit in quadam rerum gestarum memoria, i. e. bellorum, quae Aegyptios cum populis confoederatis ex occidentalibus orbis terrarum partibus contra Aegyptum progressis gessisse scripturae hieroglyphicae nostris temporibus repertae confirmant.
3) In comm. ad h. l.
4) Cf. Diels, l. l. I², Anaximandr. frgm. 9; Heracl. frgm. 30 sq.
5) Cf. Tim. p 28 a.
6) Cf. Herod. II, 22: *ἄνομβρος ἡ χώρη.*
7) Ex his Platonis verbis atque sequentibus (Tim. 23 e) *παρ' ἡμῖν ἐν τοῖς ἱεροῖς γράμμασιν - - γέγραπται* et (Tim. 24 d) *πολλὰ μὲν οὖν ὑμῶν καὶ μεγάλα ἔργα τῆς πόλεως τῇδε γεγραμμένα* Proclus ementitus

p. 23 d — 25 d: Mythus ipse narratur.

Novem milibus annorum ante Solonis aetatem Minerva Athenas priscas sortita incolas semine ex Tellure et Vulcano accepto[1]) educavit et optimis institutionibus instruxit, quas Aegyptiis similes fuisse Plato fert. Sunt, qui hac re philosophum significare voluisse suas ipsius Reipublicae formas ex Aegypto assumptas esse putent.[2]) Quae quam difficilia ad fidem sint, iam ex eo cognoscetur, quod Plato sacerdotum qui in Aegypto summas partes agunt neque in Republica neque in Critia mentionem fecerit. Licet singula cum Aegyptiorum institutis consentiant, propinquiora exempla in Graecia ipsa philosopho erant, velut Hippodamus Milesius, qui iam tres ordines opificum, agricolarum, propugnatorum instituit.[3])

Illi prisci Athenienses optimis virtutibus, terra institutioneque ornati praeter multas alias praeclaras res gestas imprimis ingenti bello orto prostraverunt et reppulerunt insulae Atlantidis incolas, qui opibus atque potentia instructi Africam usque ad Aegypti fines atque Europam usque ad mare Tyrrhenum subiecerant et omnes terras intra Herculis columnas sitas subiungere studebant. Sita erat illa Atlantis, ut accurate (p. 24 e — 25 a) demonstratur, in mari Atlantico ante ostium, cui columnarum Herculis nomen est. Ex insula Libya tota Asiaque maiore ceterae insulae quae in illo mari erant adiri potuerunt. Quarum ex adverso ingens terra continens iacebat quae illud mare circumdabat. Mare et terra tantae amplitudinis erant, ut iure *πέλαγος* vel *ἤπειρος* nominarentur, cum mare intra Herculis columnas prae illo nihil nisi portus esset. Manifestum est Platonem quaestionem geographicam attingere atque exemplum dare eorum, quae de Oceano et forma totius telluris veteres cogitatione complectebantur. Neque tamen quid philosophus voluerit facile dictu est. H. Berger[1]) Platonem putavisse disputat ingens exterius mare esse, quod omnes insulas, quarum in numero sit non solum Atlantis sed etiam orbis qui vocatur terrarum, circumdet quocumque comparatum mare internum nihil nisi sinus videatur; illud mare iterum ingenti terra continente circumdari. Unde sequi putat, ut Plato copulaverit duas contrarias geographorum sententias, eorum qui aquas eorumque qui terras inter se connexas esse sumebant. Opinio quam Berger ita Platoni attribuit mira est neque ab alio quoquam veterum philosophorum vel geographorum obtinetur. Ut res ad liquidum perducatur, incipiendum est a Platonis ipsius loco, quo de terrae forma disputat: (Phaedo p. 109 b) *ἔτι τοίνυν, ἔφη, πάμμεγά τι εἶναι αὐτὸ καὶ ἡμᾶς οἰκεῖν τοὺς μέχρι Ἡρακλείων στηλῶν ἀπὸ Φάσιδος ἐν σμικρῷ τινι μορίῳ ὥσπερ περὶ τέλμα μύρμηκας ἢ βατράχους περὶ τὴν θάλατταν οἰκοῦντας καὶ ἄλλους ἄλλοθι πολλοὺς ἐν πολλοῖσι τοιούτοις τόποις οἰκεῖν* i. e. orbis terrarum est exigua telluris pars et insula[2]), praeter quam multae aliae sunt (sive maiores sive minores[3])). Alterius huiusmodi insulae formam Atlantis, ceterae insulae illaque terra continens[4]) coniunctim faciunt; unde sequitur ut veterum orbi terrarum una cum mari interno insulisque respondeat altera multo tamen ingentioris amplitudinis oecumena, ut ita dicam,

---

est stelas, quarum in comm. ad Tim. p. 24: *μαρτυροῦσι δὲ καὶ οἱ προφῆταί φησι τῶν Αἰγυπτίων ἐν στήλαις ταῖς ἔτι σωζομέναις ταῦτα γεγράφθαι λέγοντες* mentionem facit.

1) Plato hac in re cum suam de natura philosophiam, in qua ignem et terram primaria corporum elementa fuisse ipse dicit (Tim. 31 b), tum mythologiam Atticam, quae Erichthonium ex Tellure et Vulcani semine genitum esse tradit, secutus est (cf. Preller-Robert, Griechische Mythologie I[4], 198).

2) Susemihl, l. l. II, 479 sq.

3) Cf. Aristot. Politic. p. 1267 b sq.: *κατεσκεύαζε δὲ τὴν πόλιν - - εἰς τρία μέρη διῃρημένην· ἐποίει γὰρ ἓν μὲν μέρος τεχνίτας, ἓν δὲ γεωργούς, τρίτον δὲ τὸ προπολεμοῦν καὶ τὰ ὅπλα ἔχον.*

1) Geographie der Griechen [2] p. 214, 217, 316.

2) Neque enim dubitari potest illud *σμικρόν τι μόριον* et illos *πολλοὺς τοιούτους τόπους* insulas mari circumfusas fuisse Plato quin putaverit.

3) Cf. Aristot. de mundo p. 392 b: *τὴν μὲν οὖν οἰκουμένην ὁ πολὺς λόγος εἴς τε νήσους καὶ ἠπείρους διεῖλεν ἀγνοῶν ὅτι καὶ ἡ σύμπασα μία νῆσός ἐστιν ὑπὸ τῆς Ἀτλαντικῆς καλουμένης θαλάσσης περιρρεομένη, πολλὰς δὲ ἄλλας εἰκὸς τῆσδε ἀντιπόρθμους ἄπωθεν κεῖσθαι, τὰς μὲν μείζους αὐτῆς, τὰς δὲ ἐλάττους, ἡμῖν δὲ πάσας πλὴν τῆσδε ἀοράτους*, cf. Berger, l. l. p. 312, adn. 1.

4) Cf. Tim. 24 e: *ἐξ ἧς* (sc. *νήσου Ἀτλαντίδος*) *ἐπιβατὸν ἐπὶ τὰς ἄλλας νήσους τοῖς τότε ἐγίγνετο πορευομένοις, ἐκ δὲ τῶν νήσων ἐπὶ τὴν καταντικρὺ πᾶσαν ἤπειρον.*

quae simili modo continentem terram [*τὴν ἀντικρὺ ἤπειρον*], mare [*τὸν ἀληθινὸν ἐκεῖνον πόντον*], Atlantidem multasque alias insulas [*τὰς ἄλλας νήσους*] continet, neque vero Plato contenderit unamquamque illarum insularum, quarum in numero Atlantis quoque est, oecumenam per se esse, ut Berger vult (p. 214, 316). Quae si probantur et illam in tellure non solum mari sed etiam terra continente circumdata positam difficultatem vincunt et melius congruunt sequentibus Platonis cum verbis (p. 25 a) *δύναμις βασιλέων κρατοῦσα μὲν ἁπάσης τῆς νήσου, πολλῶν δὲ ἄλλων νήσων καὶ μερῶν τῆς ἠπείρου* (cf. Crit. 111 c). Vix credibile videtur Platonem dicere voluisse unam gentem imperio tenere paene totam tellurem, quam valde immensam eum sibi effinxisse ex praecedentibus patet. — Bello breviter adumbrato quid utrique parti in posterum acciderit enarratur. Atheniensium priscorum pugnatores simul terrae motibus atque diluviis exortis interierunt, quibuscum Critiae oratio (p. 112) *πρῶτον μὲν τὸ τῆς ἀκροπόλεως* (ubi pugnatores habitabant) *εἶχε τότε οὐχ ὡς τὰ νῦν ἔχει· νῦν μὲν γὰρ μία γενομένη νὺξ ὑγρὰ διαφερόντως γῆς αὐτὴν ψιλὴν περιτήξασα πεποίηκε σεισμῶν ἅμα καὶ - - ὕδατος ἐξαισίου γενομένου* conferenda est. Quo in eventu non dubium est quin Plato putaverit illos perisse.[1]) Eodem modo insula Atlantis in mare evanuit, quare accidebat, ut illa maris pars propter lutum ex insula relictum invia fieret. Oceanum vadis plenum esse omnibus veteribus notum[2]) neque superficiem terrae eluvionibus sive motibus mutari neglectum erat, quod optime Aristoteles[3]) quoque probat. Quo tempore quaque ratione tales de geographia et geologia opiniones ortae sint propter argumentorum inopiam enucleate dici non potest. Neque tamen quae Plato et Aristoteles de his rebus protulerunt ab ipsis primis pronuntiata esse, sed praesertim cum multa iam ad veteres Ionicos philosophos revocari possint, antiquiori

1) Cf. Tim. 22 c; Crit. p. 111 a sq., ubi eluvionibus aquarum pinguem atque frugiferam terrae Atticae superficiem ablutam esse Plato disputat.

2) Cf. Herod. II, 102; Aristot. meteor. 354 a. — Kretschmer, Die Entdeckung Amerikas in ihrer Bedeutung für die Gesch. des Weltbildes 1892, p. 147 sq., 154.

3) Meteor. I, 14, p. 351 b — 352.

aetati attribuenda esse Berger[1]) demonstravit neque nova addere possum. —

p. 26 c. Eadem fusius et diligentius Critias narrare parat, cum subito Timaei oratio intericitur, qua de re primo in capite diximus. Propositum in Critia dialogo exsequitur brevi collocutione (p. 106 a — 108 d) quae ab oratione Timaei ad Critiae verba lectores transducit praemissa.

Priusquam Plato bellum ipsum narrat, Atheniensium atque eorum quibuscum bellum gerebant, **conditiones demonstrantur, primum Atheniensium (p. 109 — 112 d) deinde Atlantinorum (p. 113 c — 120 e).**

Minerva et Vulcanus, quibus antiquitus Athenis communis cultus erat[2]), Atticam sortiti hac in regione priscos Athenienses, qui quomodo geniti essent iam in Timaeo (p. 23 d) enarratum est quorumque nomina usque ad Platonis aetatem servata sunt, collocaverunt. Miraris forte quod Neptuni nomen et huius certamen cum Minerva de Attica obtinenda habitum[3]) Plato hoc loco praetermittebat. Sine rixa Neptunus Atlantidem insulam sortitus est (cf. Crit. p. 113 c). Aliter enim atque populi mythus deos philosophus acceperat[4]), quod iam propatulum est ex verbis (109 b) *θεοὶ γὰρ ἅπασαν γῆν ποτε κατὰ τοὺς τόπους διελάγχανον, οὐ κατ' ἔριν· οὐ γὰρ ἂν ὀρθὸν ἔχοι λόγον θεοὺς ἀγνοεῖν τὰ πρέποντα ἑκάστοις αὐτῶν - - - δίκης δὴ κλήροις τὸ φίλον λαγχάνοντες κατῴκιζον τὰς χώρας καὶ - - ἡμᾶς ἔτρεφον*, quae obiecta esse apparet illis, qui perperam sibi deos quasi homines essent cogitatione finxerant. Vetere autem fabula ita usus est, ut quasi imago Atheniensium Atlantinorumque belli esset, ut dei certantes civitatibus, quae bellum gerebant, praeessent atque velut in fabula Minerva, in poëmate Athenienses, quos Minerva tuebatur, superiores essent. Accedit ut Atticam,

1) l. l. p. 295 — 301, cf. p. 150 sq.

2) Cf. Preller-Robert, l. l. I⁴, 180.

3) Cf. Preller-Robert I⁴, 202 sq. — C. Robert, Hermes XVI, 1881 p. 60 sq.

4) Cf. Zeller, l. l. II⁴, 1, p. 928 sq.; Xenophan. fr. Diels, l. l. I², p. 48, 11—16.

quae civitati suo arbitratu perfectae respondet, finxerit agriculturam et opificium in pace exercere neque iam maritimis quibus Neptunus Platonis aetate praeerat rebus valere. Plato aliis quoque locis priscas Atheniensium res sive mytho sive historiae fide confirmatas respicit, velut in nominibus veterum regum Cecropis, Erechthei, Thesei memorandis (p. 110 a) atque in finibus Atticae constituendis (110 d) qua de re protinus agetur.

Athenienses civitatis perfectae exemplo *ἀρχόντων* ordine tamen praetermisso (cf. cap. I) instituuntur (p. 110 c — d), quo facto fines Atticae antiquae terminantur (p. 110 d — e). Fines ad mare pertinentes verbo non eguerunt, at qui ad terram versus iacebant subtiliter notati sunt. In occidentem versus usque ad Peloponnesum civitas pertinebat et Isthmus limitem ponebat, unde sequitur, ut agrum Megarensem philosophus Atticae priscae attribuerit, cum eius ipsius aetate Megara nemini subiecta essent atque ab Attica montis Cithaeronis parte, quae *τὰ Κέρατα* appellabatur, dirimerentur.[1]. Revera tamen ex origine illam regionem Atticae fuisse veteres contendisse Pausanias (I, 39, 4) *τῆς Ἀθηναίων ἦν καὶ αὕτη* [sc. *ἡ καλουμένη Μεγαρίς*] *τὸ ἀρχαῖον* et Strabo (IX, p. 392) *ταύτης* [sc. *τῆς Ἀττικῆς*] *δ' ἦν μερὶς καὶ ἡ Μεγαρίς* memoriae produnt.[2] Ad septentrionem versus (*πρὸς τὸ κατὰ τὴν ἄλλην ἤπειρον*) fines in Cithaerone et Parnethe montibus erant, unde delabebantur ad dextram Oropiam habentes, ad sinistram praeter Asopum flumen currentes, ex quibus Oropiam Atticae Platonem annumeravisse elucet. Iterum Plato Atticae summam quam umquam habebat amplitudinem adscribit, quoniam non omnibus temporibus Oropia in Atheniensium potestatem dictionemque redacta erat, sed his Boeotiisque perpetua contentionis causa erat.[3]

Attica tum omnes terras virtute superavit, quam rem Plato firmat eo, quod eam qualis eius ipsius temporibus erat, quamquam *λείψανον* illius priscae sit, omnes regiones Graeciae boni-

1) Cf. Strab. IX, p. 395: *τὰ ὄρια τῆς τε Μεγαρικῆς καὶ τῆς Ἀτθίδος ὄρη δύο, ἃ καλοῦσι Κέρατα.*

2) Cf. Iliad. B 546 — 560.

3) Cf. Paus. I, 34; Strabo I, 65. — Ed. Meyer, Geschichte des Altertums §§ 694, 763, 932.

tate et fructibus aequare vel antecellere dicit; quae tamen quadam conditione accipienda sunt. Omnium quidem consensu laudatur[1]) optima Attici coeli temperatio, quam Plato iam in Timaeo (p. 24 c: *⟨ἡ θεὸς⟩ ἐκλεξαμένη τὸν τόπον ἐν ᾧ γεγένησθε τὴν εὐκρασίαν τῶν ὡρῶν ἐν αὐτῷ κατιδοῦσα*) commemoravit. Item cum coelo aereque ingenia hominum qui illo fruebantur corporaque sive in universum[2]) sive quatenus Attica explorabatur[3]), coniuncta sunt. Neque vero Attica quod ad fertilitatem et ubertatem attinet cum magnis Graeciae arvis fecundisque planitiebus comparari poterat, sed potius omnia ex humo summo cum labore elici oportebat. Quae et multi alii auctores[4]) probant et Plato ipse sequentibus verbis (p. 111 d) indicat, cum montibus strato terreno obductis, magnis silvis, multis fontibus fluviisque, quibus omnibus Attica saec. IV multis locis carebat, Atticam priscam abundavisse illustret.

Iam ad Athenarum priscarum arcis descriptionem (p. 112 a — d) venimus, cuius ingens amplitudo diligentissime definitur: *μέγεθος μὲν ἦν πρὸς τὸν Ἠριδανὸν καὶ τὸν Ἰλισὸν ἀποβεβηκυῖα καὶ περιειληφυῖα ἐντὸς τὴν Πύκνα καὶ τὸν Λυκαβηττὸν ὅρον ἐκ τοῦ καταντικρὺ τῆς Πυκνὸς ἔχουσα;* ita ad meridiem Ilisus, ad occidentem Pnyx, ad orientem versus Lycabettus eam finiebant, qua ex re Eridanum, ut terminum in septentrionem spectantem nanciscamur, septentrionales partes arcis praeterfluxisse atque occidentalibus Lycabetti radicibus ortum infra Athenas in Ilisum influxisse satis apparet. Qualem alvei situm hunc Platonis locum postulare iam Dörpfeld[5]) contra

1) Cf. Eurip. frgm. 981 (Plut. mor. p. 604 e). — C. Wachsmuth, Die Stadt Athen im Altertum I, 100 sq., qui singula contulit. — E. Curtius, Stadtgesch. v. Athen p. 10/11.

2) Cf. Hippocr. *περὶ ἀέρων ὑδάτων τόπων* c. 12 — 16; Plat. Leg. 747 d.

3) Cf. Plat. Tim. 24 c: *ἐκλεξαμένη τὸν τόπον - - ὅτι φρονιμωτάτους ἄνδρας οἴσοι* (cf. Crit. 111 e). — Eurip. Med. 819 sq. — Wachsmuth, l. l. I, 94. — E. Curtius, l. l. 16/17.

4) Thucyd. I, 2, 5: *τὴν γοῦν Ἀττικὴν ἐκ τοῦ ἐπὶ πλεῖστον διὰ τὸ λεπτόγεων ἀστασίαστον οὖσαν κτλ.;* Dio Prus. VI, 2: *εἶναι γὰρ τὴν χώραν ἀραίαν;* cf. Curtius, l. l. p. 13/14. — Wachsmuth, l. l. I, 95, adn. 1.

5) Athen. Mitt. XIII, 1888, p. 211 sq.

Curtii et Wachsmuthii sententias ostendit, quorum alter[1]) Eridanum ex Hymetto prope ad monasterium *Kaisariani* nominatum excurrentem a sinistra, alter[2]) ex Lycabetto ortum a dextra quidem, sed supra urbem in Ilisum illatum esse censuerunt. Quorum opiniones si rectae essent, Eridanus ad arcem definiendam nullius esset pretii, septentriones versus autem Plato eam terminare omisisset, quam incuriam philosopho tribuere non licet. Quaerentes tamen quantum spatii Plato arci priscae adscribere voluerit, prout verba Platonis quae modo descripsi interpretabantur, viri docti dissentiebant. Dörpfeld (l. l. p. 216/17 cf. tabulam eius disputationi adiectam) Lycabettum ab arce exclusit, membris orationis per hanc notam distinctis: ⟨*ἡ ἀκρόπολις*⟩ *περιειληφυῖα ἐντὸς τὴν Πύκνα, καὶ τὸν Λυκαβηττὸν ὅρον ἐκ τοῦ καταντικρὺ τῆς Πυκνὸς ἔχουσα.* Cuius quam improbabilis sit opinio iure iam Curtius (l. l. p. 1216) et Chr. Belger[3]) maxime inde concluserunt, quod Pnyx, Acropolis, Lycabettus ex eadem lapidea materie constant[4]) neque, quoad ad geologiam attinet, separari possunt, qua in re ingeniose observata tota Platonis fictio posita est. Accedit, ut illius ratione Lycabettus proxime arcem attigisset superque eam eminuisset, quod Platonem voluisse vix cogitari potest. In eo tamen erraverunt, quod illa verba, ut sententiae suae auctoritatem augerent, hoc modo dividebant: *περιειληφυῖα ἐντὸς τὴν Πύκνα καὶ τὸν Λυκαβηττόν, ὅρον* [*τὸν Λυκαβηττόν*] *ἐκ τοῦ καταντικρὺ τῆς Πυκνὸς ἔχουσα*: *complexa Pycna et Lycabettum, qui finem ex adverso Pycnos situm ponit.* Quae grammaticae rationi repugnant, cum ad accuratiorem vocis *Λυκαβηττόν* interpretationem adiciendam participio *ἔχουσα* uti non liceat. Potius sibi respondent membra *περιειληφυῖα ἐντὸς τὴν Πύκνα* et *τὸν Λυκαβηττὸν ὅρον ἐκ τοῦ καταντικρὺ τῆς Πυκνὸς ἔχουσα,* quae dictione quadam arte variata eadem valent; neque enim Platonem, qui arcem Lycabettum terminum habere narraret, hunc montem exclusisse sumi

1) l. l. p. 3; Berichte der Berliner Akademie der Wissensch. 1888, p. 1216.
2) l. l. I, 366.
3) Berl. Philolog. Wochenschrift 1890, p. 804.
4) Cf. Lepsius, Geologie v. Attica p. 6; 53. — Curtius, Stadtgesch. p. 6.

oportet. Quae cum ita sint, arx quin ex Platonis sententia Lycabettum comprehenderit, non dubium est. In fastigiis pars opificum et agricolarum, in summa arce propugnatores habitabant circa Minervae Vulcanique sacrum.[1]) Quae nunc est arcis loco unus qui omnibus satis aquae praebebat fons erat, ex quo motibus obruto parvos circa arcem rivulos (*τὰ νῦν νάματα μικρὰ κύκλῳ*) sua aetate superfuisse Plato dicit. Quod ad illos parvos fontes attinet, nostra aetate duo tantum effodiebantur:[2]) ad septentriones et occasum solis versus Clepsydra, meridiem versus qui ad *Ἀσκληπιεῖον* pertinet. Reliquos ad quos Platonis verba referenda sint, vix umquam certe dicetur, cum quorum vestigia inveniuntur an forte philosophi quoque aetate iam exstincti atque inter illa *νάματα, ὧν καὶ νῦν ἔτι ἐπὶ ταῖς πηγαῖς πρότερον οὔσαις ἱερὰ λελειμμένα ἐστὶν σημεῖα* (p. 111 d) numerandi sint diiudicari non possit.

Athenarum priscarum descriptione finita atque iterum accuratione totius narrationis firmata (p. 113 a b) Atlantis insula latissima ratione instituitur.

Neptunus insulam sortitus est complevitque incolis quos ipse genuit. Cum tamen Athenienses divina progenie (Tim. 23 c) essent, Atlantini ex societate Neptuni loco diligenter (p. 113 c—e) descripto cum mortali muliere Clitone habita orti sunt. Clito peperit quinquies binos filios quorum quisque imperavit uni ex decem partibus in quas insula divisa est. Totius insulae ingens opulentia et omnium rerum quas terra procreat ubertas laudatur (p. 114 d — 115 b; 118 b, e). In sequentibus (p. 115 c — 119 b) eius insulae partis quam maximus natu summusque rex dominabatur institutio quasi exempli loco demonstratur. Quod principis regis regnum planitiem, montes, qui hanc circumdabant, magnamque reliquae insulae partem continebat. Ex quibus diligentius planities disponitur, quae media in parte insulae ad meridiem vergente mareque attingente sita erat atque altera ex parte ad tria, altera ad duo milia stadiorum protendebatur (p. 118 a). Hac in planitie quinquaginta stadia a mari aberat

1) Veluti aetate inferiore in templo *Ἐρεχθεῖον* appellato Minerva et Neptunus-Erechtheus, qui Athenis praesiderent, celebrabantur.
2) Cf. E. Curtius, Herm. XXI, 1886, 198 sq.

olim mons, qui auctore Neptuno in insulam atque tres maritimos, duos terrenos orbes, qui insulam circumdabant, permutatus est (p. 113 d). Illa media insula arx totius urbis facta est atque imprimis regiam atque Neptuni templum comprehendebat (p. 116 c — 117 b). Quasi valla inter arcem atque veram urbem iacebant orbes illi terreni, in quibus templa, horti, gymnasia hominum equorumque, portus interiores, navalia erant (p. 117 c — d). Urbs ipsa multis solidis domibus completa atque muro circumsaepta erat (p. 117 e). Omnia, ut negotiatio atque mercatura vigeret, optime itineribus patefactis, fossis ductis, pontibus factis et in urbe ipsa (p. 115 e — 116 c) et in tota planitie (p. 118 c — e) parata erant. Res tam late explicatae sunt, ut vix interpretatione egeant. Platonem his in describendis conditiones, quae revera sive inter Graecos sive inter barbaros inveniebantur, hac atque illac respexisse non mirum est.[1] Ante omnia ad unum tamen tetendisse mihi videtur. Descriptionem planitiei, urbis, arcis spectantibus clarum fiet, quanto amore Plato omnia animo percusserit, quam accurate singula computaverit atque exacte disposuerit. Spatia, vias, fossas, domus omniaque cetera subtiliter emensus certo consilio exstruxit atque certa lege effecit. Non multo autem ante Platonis aetatem Hippodamus Milesius, cuius de vita atque actione accuratissime C. F. Hermann[2] disputavit, *τὴν τῶν πόλεων διαίρεσιν*[3] invenerat atque hac nova ratione Piraeum[4], Thurios[5], Rhodum[6] distribuerat. Ratio Hippodami nunc optime Magnesia[7] et Priene[8] oppidis nuper

---

1) Cf. Susemihl, l. l. II, 486. — O. Kern, Archiv für Gesch. der Philos. II, 1889, p. 175 sq. — G. Demm, Ist die Atlantis poetische Fiktion? Gymnas. Progr. Straubing 1905, p. 31—34.

2) De Hippodamo Miles. disp. Marburgiana 1841.

3) Cf. Aristot. Politic. II, 5, p. 1267 b.

4) Cf. E. Curtius, Stadtgesch. v. Athen p. CI, 64 — CII, 9; p. 160. — Diels, l. l. I^{2}, p. 227; hunc portum Hippodamum Periclis, non Themistoclis aetate distribuisse Hermann, l. l. p. 12 satis probabile reddidit.

5) Cf. Hesych. s. v. *Ἱπποδάμου νέμησις*. — Ed. Meyer, l. l. IV, § 398.

6) Cf. Strab. XIV, 654.

7) Cf. Humann-Kohte-Watzinger, Magnesia am Mäander, 1904, p. 2 et tab. II.

8) Cf. Wiegand-Schrader, Priene 1904, p. 45 et tab. III, VIII, IX.

effossis in conspectu posita est atque ea erat, ut in urbibus constituendis, qua in re usque ad illud tempus nihil nisi casus atque hominum fortuitum arbitrium respiciebatur, quasdam geometricas formas legesque excogitaret atque vias, domus, loca rectis lineis ad certam normam disponeret.[1] Eiusdem rationem Platonem cognovisse atque probavisse et in Atlantide instituenda quasi in conspectum posuisse in sequentibus firmabitur. Atque primum praeter illam subtilitatem et omnium rerum proportionem maxime *διώρυχες εὐθεῖαι τετμημέναι κατὰ τὸ πεδίον* (Crit. p. 118 d) atque *διάπλους ἐκ τῶν διωρύχων εἰς ἀλλήλας τε πλαγίας καὶ πρὸς τὴν πόλιν* (p. 118 e) reiciunt ad Hippodami modum, quem ut exemplo utar Thuriis eum adhibuisse ex Diodori verbis XII, 10: *τὴν δὲ πόλιν διελόμενοι κατὰ μὲν μῆκος εἰς τέτταρας - - κατὰ δὲ πλάτος διεῖλον εἰς τρεῖς πλατείας* elucet.[2] Ceterum circularem quoque ut Atlantinorum urbis formam oppidorum ab Hippodamo constitutorum fuisse ex eo conicere licet, quod Rhodum in theatri formam redactam fuisse Diodorus[3] prodit eiusque murorum orbem Aristides rhetor[4] praedicat. Atque idem conficitur ex Aristophanis Avium loco[5], quo quin Hippodami artem irriserit non dubium est. At graviores causae exstant: Iam primo in capite (p. 13/14, cf. adn. 6) contendimus Platonem ea, quae in Legibus (p. 778 b — 779 b) de urbium dispositione praescripserat, in Critia ita perfecisse, ut Atlantinorum planitiem, oppidum eiusque aedificia, fossas, vias

---

1) Ita Aristotelem verba *τὴν τῶν πόλεων διαίρεσιν* accepisse oppida, quorum dispositionem Hippodamo veteres attribuerunt, satis probant. Cf. Hermann, l. l. p. 52 sq.

2) Cf. Priene p. 46.

3) XIX, 45: *θεατροειδοῦς δ' οὔσης τῆς Ῥόδου.* XX, 23: *οὔσης τῆς πόλεως θεατροειδοῦς.*

4) II, 25, 7 (ed. Keil): *τὸ δὲ ἐπὶ πᾶσι καὶ πρὸ πάντων θαῦμα καὶ ὀφθαλμοῖς κόρον οὐκ ἔχον, τὸν τῶν τειχῶν κύκλον.*

5) v. 1004: *ὀρθῷ μετρήσω κανόνι προστιθείς, ἵνα*
ὁ κύκλος γένηταί σοι τετράγωνος, κἀν μέσῳ
ἀγορά, φέρουσαι δ' ὦσιν εἰς αὐτὴν ὁδοὶ
ὀρθαὶ πρὸς αὐτὸ τὸ μέσον, ὥσπερ ἀστέρος
αὐτοῦ κυκλοτεροῦς ὄντος, ὀρθαὶ πανταχῇ
ἀκτῖνες ἀπολάμπωσιν.

Cf. Hermann, l. l. p. 54.

certa norma ac regula exstrueret. Illum Legum locum autem ad Hippodami praecepta revocandum esse certa sunt argumenta, cum non solum Aristides rhetor in Rhodo describenda, quam urbem ab Hippodamo aedificatam esse supra vidimus, dilucide cum Platonis postulationibus paene ad verbum consentiat:

Plat. leg. 779 b.	Aristid. II, 25, 6 (ed. Keil).
ὅπως ἂν ᾖ πᾶσα ἡ πόλις ἓν τεῖχος ὁμαλότητί τε καὶ ὁμοιότησιν εἰς τὰς ὁδοὺς πασῶν τῶν οἰκήσεων ἐχουσῶν εὐέρκειαν, ἰδεῖν τε οὐκ ἀηδὲς μιᾶς οἰκίας σχῆμα ἐχούσης αὐτῆς.	*τῆς δ' ἄλλης πόλεως οὐδὲν ἕτερον ἑτέρου ὑπερέχον, ἀλλὰ διαρκῆ καὶ ἴσην τὴν κατασκευὴν οὖσαν, ὡς γένοιτ' ἂν οὐ πόλεως, ἀλλὰ μιᾶς οἰκίας.*

sed etiam mira sit cognatio cum certis Aristotelis verbis:

Plat. leg. 779 b.	Aristot. politic. VII, 10, 4, p. 1330 b.
τὰς οἰκοδομίας χρὴ τὰς τῶν ἰδίων οἰκήσεων οὕτως ἐξ ἀρχῆς βάλλεσθαι, ὅπως ἂν ᾖ πᾶσα ἡ πόλις ἓν τεῖχος - - - ἰδεῖν δὲ οὐκ ἀηδές.	*ἡ δὲ τῶν ἰδίων οἰκήσεων διάθεσις ἡδίων μὲν νομίζεται καὶ χρησιμωτέρα πρὸς τὰς ἄλλας πράξεις, ἂν εὔτομος ᾖ καὶ κατὰ τὸν νεώτερον καὶ τὸν Ἱπποδάμειον τρόπον.*

Primo obtutu consilii unitas intellegitur atque uterque eadem paene verbo tenus disputat eo tantum discrimine interposito, quod Plato Hippodami nomen omittit. Accedit ut Platonem in civitate perfecta quoque instituenda ab Hippodamo, qui iam in tres opificum, agricolarum, pugnatorum ordines cives distribuit[1]), non pendere cogitari non possit, etiamsi quae Stobaeus[2]) de eius civitate prodit fraudulosa atque ex Platonis libris afficta esse perspicuum est. Quibus omnibus perpensis optimo iure dici puto Platonem in Atlantide instituenda spectasse ad Hippodami leges.

1) Cf. h. disput. p. 34, adn. 2.

2) In floril. 43, 92 sq., cf. Hermann, l. l. p. 38.

Quae cum ita sint, fortasse quaesiverit quisquam, quatenus Plato ipse in Graeciae urbibus condendis atque instituendis partem habuerit. Facile vero res ita dissolvitur, ut dicatur philosophum ipsum ullius civitatis constituendae in parte fuisse neque verisimile, quoniam quae tum in Graecia erat rerum conditio eius de republica sententiis valde repugnabat[1]), neque quicquam fide dignum memoriae proditum esse. Sed veterum scriptorum nonnulli tradiderunt Arcades Thebanosque[2]) et Cyrenes incolas[3]) a Platone ut leges sibi scriberet petivisse, quod tamen recusavisset. Quantum a fide abhorreat Thebanos cum Platone, ut Atheniensis isque Lacedaemoniorum amicus erat, Megalopolin contra Lacedaemonios a. 371 victos condendam communicavisse Zeller[4]) satis ostendit, at quae de Cyrenensibus nuntiata sunt, in ambiguo reliquit. Illos gravibus per multos annos discordiis habitis a. 401/400 invicem in gratiam redisse et communiter urbem tenuisse Diodorus[5]) profert, quae in tempora auctorem fabulam rettulisse iure suspicabimur; verumtamen hac in re chronologiae vitium latere apparet, cum Platonem viginti septem annos natum iam in publicum prodisse atque tantam ut leges scribendae ab eo peterentur famam habuisse sit incredibile. Quibus accedit, ut ridicula sit quam philosophus adhibuisse fertur recusatio: (Plut. *πρὸς ἡγεμ. ἀπαίδευτ.* c. 1) *ὁ δὲ παρῃτήσατο φήσας χαλεπὸν εἶναι Κυρηναίοις νομοθετεῖν οὕτως εὐτυχοῦσιν. οὐδὲν γὰρ οὕτω γαῦρον καὶ τραχὺ καὶ δύσαρκτον, ὡς ἀνὴρ ἔφυ εὐπραγίας δοκούσης ἐπιλαμβανόμενος*, i. e. Plato verbis Philoctetae[6]) Euripidei usus esse dicitur, quae haud-

1) Cf. Zeller, l. l. p. 419.

2) Diog Laert III, 23: *φησὶ δὲ Παμφίλη ἐν τῷ πέμπτῳ καὶ εἰκοστῷ τῶν ὑπομνημάτων ὡς Ἀρκάδες καὶ Θηβαῖοι Μεγάλην πόλιν οἰκίζοντες παρεκάλουν αὐτὸν νομοθέτην. ὁ δὲ μαθὼν ἴσον ἔχειν οὐ θέλοντας, οὐκ ἐπορεύθη.* Cf. Aelian. v. h. II, 42.

3) Ael. v. h. XIII, 30: *ἐς τοσοῦτον δὲ ἄρα Κυρηναῖοι τρυφῆς ἐξώκειλαν, ὥστε Πλάτωνα παρεκάλουν ἵνα αὐτοῖς γένηται νομοθέτης· τὸν δὲ ἀπαξιῶσαί φασι διὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς ῥαθυμίαν αὐτῶν.* Cf. Plut. vit. Luc. c. 2; *πρὸς ἡγεμ. ἀπαίδ.* c. 1.

4) l. l. II, 1, p 422, adn. 1.

5) XIV, 34; cf. Ed. Meyer, l. l. III, § 356.

6) *Οὐδὲν γὰρ οὕτω γαῦρον ὡς ἀνὴρ ἔφυ;* Dio Prus. 52, 12; Nauck, Frgm. trag. Gr.[2] p. 617, frgm. 688.

quaquam rem attingunt; quod caput rei [*εὐπραγίας δοκούσης ἐπιλαμβανόμενος*], affictum est neque tantane fatuitas Platoni attribuenda sit pluribus persequi oportet. Potius ita tota narratio quin conficta sit non dubito: Etiamsi supra (p. 32 sq.) demonstratum est Platonem Aegyptum numquam adisse, qua ex re per se patet Cyrenas quoque eum non profectum esse, tamen omnibus fere veteribus certum erat in has regiones philosophum iter direxisse.[1]) Qua in falsa opinione nisus quisquam commentus est Cyrenenses leges petivisse a Platone, cum illorum in urbe moraretur. Atque confirmatur haec coniectura uno Plutarchi loco, quem primigenam traditionem continere arbitror: (*πρὸς ἡγεμ. ἀπαίδευτ.* c. 1) ***Πλάτωνα Κυρηναῖοι παρεκάλουν νόμους τε γραψάμενον αὐτοῖς ἀπολιπεῖν*** i. e. Cyrenenses a Platone petiverunt, ut leges sibi *relinqueret* [sc. cum Cyrenis discederet]. Detrectatio autem facile excogitari potuit, quod philosophus et in Republica et in Legibus assidue suppeditationem omnium rerum oppugnaverat atque Cyrenas fecunditatis ubertatisque gloria florere, quae iam Herodotus[2]) profert, omnibus constabat. Quae satis sunt, ut fraus intellegatur.

Hoc loco etiam memoranda est quam Fridericus Hiller de Gaertringen comiter mecum communicavit opinio: Platonem Magnesiae urbi ad Maeandrum sitae, cum a Thibrone Lacedaemonio a. 400/399 (cf. Diod. XIV, 36)[3]) restitueretur, leges scripsisse. Cuius rei testimonium esse putat Magnesiae illius Creticae in Legibus mentionem, quae passim[4]) occurrat ita, ut ex antiquiore libri forma remansisse videatur. Senem autem multis annis post, cum in Leges concipiendas incidisset, illo vetustiore libro ita usum esse, ut fabularem Cretae urbem pro Magnesia Asiana substitueret, cuius tamen vestigium tribus ex duodecim dis[5]) nominatae retinuerint. Quae omnia acute ex-

---

1) Cf. Zeller, l. l. II, 1, p. 404, adn. 2.

2) IV, 199.

3) Diodorum erravisse atque Magnesiam revera a. 391 in alium locum translatam esse Ed. Meyer (Theopomps Hellenika, p. 111 sq.) nunc demonstravit.

4) p. 848 d; 860 e; 919 d; 946 b; 969 a.

5) p. 745 b sq.; 771 b—e; 828 c; 848 d.

cogitata comprobare an liceat, certo non decernendum erit nisi accuratissima Legum explicatione et interpretatione confecta; quae cum ab huius disputationis consilio abhorreat, rem in dubio relinquo, ingeniosam autem Hilleri opinionem silere nolui.

Cap. IV.

De fundamentis atque dialogi problematis.

Ut ad finem perveniamus, cuiusmodi in fundamentis atque propositis dialogum Plato exstruxerit quaerendum est. Atque primum et veteres et recentiores hac in re omnibus temporibus diversas in sententias discedebant, quas omnes, cum iterum ac saepius summa cum diligentia collatae sint[1]), singulatim enumerare nolo. Alii toti narrationi veritatem attribuerunt, alii cetera silentio praetervecti exstitisse olim Atlantidem insulam disseruerunt; hi si minus omnia vera sint, at certe in quadam rerum gestarum memoria a Platone libere mutata putabant bellum Atlanticum esse positum, illi totam rem a philosopho confictam habebant; quos recte disceptavisse et nostrae aetatis viri docti[2]) luculenter docuerunt et ex eis quae in praecedente capite disputata sunt satis patere puto. Nam certum est Critiam dialogum esse fabulam atque liberam Platonis ingenii fictionem tamen ortam et penitus positam in Graeciae quae Platonis aetate erat memoria, conditionibus,

---

1) H. Martin, Études sur le Timée I, 285 sq. — F. Sander, Zu der Platon. Insel Atlantis, Bunzlau, Progr. 1893. — Conr. Kretschmer, Die Entdeckung Amerikas und ihre Bedeutung für die Gesch. des Weltbildes p. 159 sq. — G. Demm, Ist die Atlantis eine poetische Fiktion? Straubing, Progr. 1905.

2) Martin, l. l. I, 330, qui in eo tantum erravit, quod narrationem revera in Aegypto ex sacerdotibus, qui tamen ficta dicerent, Platonem accepisse sibi persuasum habebat, quae sententia supra (p. 32) refutata est. — Susemihl, Genet. Entwicklung II, 486 sq. — E. Rohde, Der griechische Roman p. 197 sq. — G. Demm, l. l. p. 43.

humanitate scientiisque. Atlantidem, quae revera numquam exstitit, commentus est philosophus et in veterum usque ad Pytheae tempora Oceani ignorantia, quae phantasiae maximum laxamentum dabat, et in geographicis[1]) aequalium scientiis nisus. Ut exponeret quanam ratione fieri posset, ut prisca Attica pingui humo privaretur atque Atlantis evanesceret marique submergeretur, geologiae scientia est usus.[2]) In singulis autem exornandis Platonem veras res, institutiones, mores, virtutes, quae omnibus eodem tempore viventibus notae erant, priscis imposuisse per se intellegitur. Tandem in bello ipso depingendo vix dubium est quin philosopho multa lineamenta ex Atheniensium gloriosis bellis sive cum Eleusiniis[3]) sive cum Persis gestis[4]) petita ante oculos observata fuerint. At Plato longe aberat, ut in Critia certum bellum fabulae specie describere vellet, quae res non modo ab eo ipso non indicatur, sed etiam adversatur problemati totius dialogi, ut infra palam cognoscetur. Quam ob rem repudiandum est, quod Six[5]) contendit Critiae mythum mutatis mutandis nihil aliud esse atque Persarum cladem.

Aliud autem dialogi fundamentum in arte oratoria situm est. Athenas panegyrico Plato ornavit[6]), quod et ipse saepe indicat:

Tim. p. 19 d: *δυνατὸς γενέσθαι τοὺς ἄνδρας καὶ τὴν πόλιν ἱκανῶς ἐγκωμιάσαι*

p. 21 a: *καὶ τὴν θεὸν ἅμα ἐν τῇ πανηγύρει δικαίως τε καὶ ἀληθῶς οἷόνπερ ὑμνοῦντας ἐγκωμιάζειν*

p. 26 c d: *τοὺς δὲ πολίτας οὓς διενοοῦ φήσομεν ἐκείνους τοὺς ἀληθινοὺς εἶναι προγόνους ἡμῶν*

---

1) Cf. supra p. 34 sq.; Kretschmer, l. l. p. 169/70.

2) Cf. supra p 36.

3) Cf. O. Kern, l. l. p. 175 sq.; optimum testimonium esse puto similitudinem inter Xenophontis Memorabilium locum (III, 5, 9) et Critiae orationem (p. 108 e) observatam (Kern p. 178/79).

4) Cf. Susemihl, l. l. II, 486 sq. — E. Pfleiderer, Socrates u. Plato p. 709 sq.

5) In sententia controversa XV dissertationi de Gorgone Amstelod. 1885 adiecta.

6) Cf. E. Pfleiderer, l. l. p. 706.

Crit. p. 108 c: *καὶ τὸν Παίωνά τε καὶ τὰς Μούσας ἐπικαλούμενον τοὺς παλαιοὺς πολίτας ἀγαθοὺς ὄντας ἀναφαίνειν τε καὶ ὑμνεῖν*

et multis ex locis colligi potest, quibus ingens fastus ex admiratione patriae ortus facile intellegitur:

Tim. p. 21 d: *οὔτε Ἡσίοδος οὔτε Ὅμηρος οὔτε ἄλλος οὐδεὶς ποιητὴς εὐδοκιμώτερος ἐγένετο ἄν ποτε αὐτοῦ* [sc. *Σόλωνος*]

p. 21 e: *μάλα δὲ φιλαθήναιοι καί τινα τρόπον οἰκεῖοι τῶνδ' εἶναί φασιν* [sc. *Σαϊτικοί*]

p. 23 d: *φθόνος οὐδείς, ὦ Σόλων, ἀλλὰ σοῦ τε ἕνεκα ἐρῶ καὶ τῆς πόλεως ὑμῶν*

p. 25 b: *ὑμῶν, ὦ Σόλων, τῆς πόλεως ἡ δύναμις εἰς ἅπαντας ἀνθρώπους διαφανὴς ἀρετῇ τε καὶ ῥώμῃ ἐγένετο κτλ.*

Crit. p. 110 e: *τὸ γὰρ νῦν αὐτῆς* (sc. *Ἀττικῆς χώρας*) *λείψανον ἐνάμιλλόν ἐστι πρὸς ἡντινοῦν τῷ πάμφορον εὔκαρπόν τε εἶναι καὶ τοῖς ζώοις πᾶσιν εὔβοτον.*

Satis constat oratores sive in panegyricis sive in laudationibus funebribus (*ἐπιτάφιοι*) summo amore atque impetu Athenas in coelum tulisse. Si minus urbs, ut eorum ipsorum temporibus erat, laude digna fuit[1]), attamen illa prisca magnitudine incensi sive bella cum Persis gesta[2]) sive res a veteribus regibus et heroibus Atticae factas[3]) laudibus efferebant. Neque fieri poterat, ut haec praeconia priscis Atheniensium factis ab oratoribus attributa, quamvis in Menexeno irriserit, Plato non respiceret.

At iam Gomperz[4]) docuit haec omnia quidem ad consilium quod Critias spectat praeparare, neque vero esse dialogi problema. Potius Plato ipse pronuntiat quid eius sit verum propositum: Reipublicae argumentum ita supplere in animo habebat, ut civitatem, quam illo in opere mente excogitaverat,

---

1) Cf Isocr. panath 114: *καὶ μηδεὶς ὑπολάβῃ με ταῦτ' εἰρηκέναι περὶ ταύτης τῆς πολιτείας, ἣν ἀναγκασθέντες μετελάβομεν, ἀλλὰ περὶ τῆς τῶν προγόνων.*

2) Thucyd. II, 36; Plato Menex. p. 240; Isocr. paneg. 71; Lysias *ἐπιτάφ.* 21.

3) Plato Menex. p. 239 b; Isocr. paneg. 68; Demosth. *ἐπιτάφ.* 8.

4) Griechische Denker II, 479.

re spectatam et libere motam repraesentaret.[1]) Quod quoniam in ulla Graeciae civitate revera perfici non poterat, fabulae Romanensis forma, qua species saltem veritatis oritur, usus est[2]), i. e. optimam suo arbitratu rempublicam in Atticam priscam transtulit atque civitatem Atheniensium ita institutam in bello exploratam depicturus erat.[3]) Deliberatum igitur habeatur necesse est dialogi caput in Reipublicae civitatis contra alias aliter constitutas probatione consistere, cum et Athenae priscae et Atlantis et bellum ipsum quasi adiumenta atque ornamenta posteriores habeant partes. Quibus omnibus remotis quaestio est, quo modo Plato illam summam dialogi materiam explicare cogitaverit. Atque iterum ipse quid voluerit significasse mihi videtur. Non solum Atlantinorum, sed etiam multarum aliarum sive Graecarum sive barbararum gentium, quarum non solum subsicive in Timaeo[4]), sed etiam, quod summi momenti est, eo Critiae[5]) loco mentionem faciat, quo operis dispositionem dat, instituta ut consideraret atque cum optima civitate conferret, consilio petivit rationem secutus, quam ipse in Legibus iam commendaverat.[6]) Illarum omnium ergo civitatum institutiones et virtutibus vitiisque diversae conditiones demonstrandae atque cum perfecta republica comparandae erant, cuius auctoritas, virtus praestantiaque ad

---

1) Cf. Tim. p. 19 b: *οἷον εἴ τις ζῶα καλά που θεασάμενος - - - εἰς ἐπιθυμίαν ἀφίκοιτο θεάσασθαι κινούμενά τε αὐτὰ καί τι τῶν τοῖς σώμασι δοκούντων προσήκειν κατὰ τὴν ἀγωνίαν ἀθλοῦντα· ταὐτὸν καὶ ἐγὼ πέπονθα πρὸς τὴν πόλιν ἣν διήλθομεν.*

2) Cf. E. Rohde, Griech. Roman p. 197.

3) Cf. Tim. p. 19 c.

4) p. 19 c: *ἀκούσαιμ' ἂν ἄθλους οὓς πόλις ἀθλεῖ, τούτους αὐτὴν ἀγωνιζομένην πρὸς πόλεις ἄλλας.* p. 25 b c: *τῆς δὲ πόλεως ἡ δύναμις - - - τὰ μὲν τῶν Ἑλλήνων ἡγουμένη κτλ.*

5) p. 109 a. *τὰ μὲν δὴ πολλὰ ἔθνη βάρβαρα καὶ ὅσα Ἑλλήνων ἦν γένη τότε, καθ' ἕκαστα ἡ τοῦ λόγου διέξοδος οἷον ἀνειλλομένη τὸ προστυχὸν ἑκασταχοῦ δηλώσει· τὸ δὲ Ἀθηναίων τε τῶν τότε καὶ τῶν ἐναντίων οἷς διεπολέμησαν, ἀνάγκη κατ' ἀρχὰς διελθεῖν πρῶτα, τήν τε δύναμιν ἑκατέρων καὶ τὰς πολιτείας.*

6) p. 702 a: *ταῦτα γὰρ πάντα εἴρηται,* Peloponnesi, Persarum, Atheniensium civitatibus antea exploratis inquit, *τοῦ κατιδεῖν ἕνεκα πῶς ποτ' ἂν πόλις ἄριστα οἰκοίη καὶ ἰδίᾳ πῶς ἄν τις βέλτιστα τὸν αὑτοῦ βίον διαγάγοι.*

ultimum ex eo cognosceretur, quod hostes devicti sunt, quamquam socii omnibus rebus desperatis deseruerunt perfectae reipublicae cives, qui soli periculum superarent (cf. Tim. p. 25 c d). Quibus probatis intellegetur quale quantumque Plato sibi proposuerit opus, in quo omnia politica studia, quorum multa iam in Republica et Legibus adhibuerat, componere eum voluisse sumendum est. Atque iam patet quare tantum fundamentum ex mytho petitum posuerit atque Critiam tantae, quae praeter eum ipsum Timaei cosmogoniam et Rempublicam continet, trilogiae adnexuerit, quam rem vix idoneis argumentis explicare posses, si philosophum nihil amplius aggressum esse putares quam Atheniensium et Atlantinorum comparationem, unde eveniret, ut dialogus quem legimus maxima ex parte absolveretur.

Restat, ut de Hermocrate pauca dicantur, quem una cum Republica, Timaeo, Critia dialogis eidem quae vocatur tetralogiae Platonem attribuere voluisse ex eius ipsius verbis cognoscitur.[1]) De illius argumento cum nihil certum sit, varie coniecerunt viri docti aut huius dialogi materiam in Legibus expositam esse[2]) aut quomodo civitas perfecta in posterum ad effectum adduceretur[3]) vel rebus publicis philosophi aetatis comprobaretur[4]) Platonem ostendere studuisse. Quae tamen omnia iam refutata sunt, si probantur quae ex hac disputatione effecta sunt. Nam Leges Critiam scribendum antecesserunt (cf. cap. I), summum autem Critiae propositum, ut modo disputabatur, in universa situm est optimae reipublicae probatione, quae ex certis temporibus non pendet, neque rerum in tempora praeterita translatio aliter atque ex fabulae Romanensis forma orta est. Quid Hermocratis materia fuerit, ignoramus et ignorabimus.

---

1) Tim. p. 20 b, Crit. p. 108 a sq.

2) H. Räder, Platons Philos. Entw. p. 379.

3) Susemihl, l. l. II, 500. — E. Pfleiderer, Socr. u. Plato p. 713 sq.

4) C. Ritter, Philolog. LXII, 1903, p. 415.

Vita.

Natus sum Fridericus Kluge Nonis Septembribus a. 1886 in urbe Hannovera patre Ernesto, matre Friderica e gente Feesche. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum elementis imbutus a. 1896 in Lyceum urbis Hannoverae, quod C. Capelle gubernabat, receptus sum. Vere anni 1905 maturitatis testimonium adeptus Gottingae per duos annos studiis me dedi philologicis et historicis. Deinde Halas Saxonum me contuli, ubi a vere anni 1907 lectionibus intersum.

Docuerunt me viri illustrissimi:

Gottingenses: Baumann, Busolt, Dittmann, Goedeckemeyer, Lehmann, Leo, Pohlenz, Schwartz, Stein, Viertel, Wackernagel.

Halenses: Bremer, Ebbinghaus, Fries, Goldschmidt, Haupt, Heldmann, Kautzsch, Kern, Lindner, Loofs, Menzer, Muff, Niese, Philippson, Praechter, Robert, Wissowa.

Ad proseminarium et seminarium philologicum Gottingense me admiserunt vv. dd. Leo, Pohlenz, Schwartz, ad seminarium philologicum Halense Kern, Praechter, Wissowa. Exercitationibus historicis ut interessem permiserunt vv. dd. Busolt, Niese, Stein; archaeologicis Robert; epigraphicis Kern; grammaticis Wackernagel; paedagogicis Fries. Quibus praeceptoribus omnibus gratiam semper habebo quam maximam, imprimis vero numquam obliviscar quantum debeam Ottoni Kern, qui ad has quaestiones parandas me incitavit quemque me in hac dissertatione componenda auxilio consilioque semper adiuvisse gratissimo animo profiteor.

Examen rigorosum habitum est a. d. III Non. Sextil. a. 1909.